nia subsidia. quibus prope infinitæ necessitates indigent nostræ; omnia hæc ab illius pendent arbitrio. Nostra igitur quam maximi refert indesinenter oculos habere intentos in Dominum, ne quid operemur, quod sit illius indignum bonitate, & ut beneficos ejusdem obtutus in nosmet convertemus. Hic ex heris omnibus optimus est; hic incessanter manus habet apertas, ut nostris opem ferat egestatibus, & id unum quærit, quomodo nobis afferat solatium. Ne statuamus ergo obicem beneficiis illius, earumdem obliti; quis est servus, qui negligat Dominum, a quo omnis sua pendet felicitas; qui ejus evitet præsentiam? qui ad illum confugere dedignetur, quamvis hoc illi facere liceat, immo etiam ille facere jubeatur? Singulis vitæ meæ momentis Deum meum alloqui possum, & certus sum, me audiri ab illo; In singulos gressus opus est mihi illius subsidio, & labi possum in laqueos, quos mihi posuerunt inimici mei; numquam amovebo ab illo oculos meo; ne ille suos umquam amoveat a me. *Idem.*

Opus nobis est, ut Deus omnes dirigat gressus nostros, ne igitur oculos ab illo deflectamus.

Ad ulterius ciendam confidentiam in nobis, Scriptura certissimum nobis proponit consilium promerendi validam de cœlo protectionem; est autem, ut numquam oculos deflectamus a Deo, ut in viis omnibus uni huic placere quæramus, ut illi omnia opera nostra dicemus, ea ad majorem ipsius gloriam referentes, tamquam ultimum finem quem nobis proponere debeamus; et semper operemur tamquam agentes omnia coram suprema hac majestate, certi, nos ab illo videri, & ad eodem quæcumque facimus considerari. Hac ratione quidquid ad nos spectat, quodammodo spectat ad ipsum Deum, & ille summa cum oblectatione respicit actus nostros, ut ii, qui referuntur ad ipsum. Nos protegens nanciscitur conservationem boni; quod suum est, & efficiens, ut ea quæ concipimus consilia optimum consequantur effectum, nobis cooperatur, nobiscum ad majorem ipsius gloriam concurrit. Si difficile vobis videtur oculos figere in adorabilem ejus præsentiam in singulos gressus, inde oritur, quia vobis non est plena, & integra in ipso confidentia, quia adhuc innixi estis propriæ prudentiæ, quia nondum omnia opera vestra facitis, ut illi placeatis; verbo, quia illum non diligitis. Hoc vobismet persuadete, vos ex vobis nihil posse; quemlibet gressum vobis esse periculum proximum, & fortasse etiam lapsum, nisi Deus propitiam vobis manum tenderit. In assidua hac necessitate, quam vobismet statuetis, divinæ erga vos protectionis, facile omnes cogitationes vestras converteris in illum. Involutis tenebris obscuræ noctis in via, quæ penitus vobis ignota est, nisi superno lumine illustrati fueritis, potestisne cogitare de duce, qui solus possit vobis rectum iter ostendere? Ejus præsentia vobisne gravis esse potest? Vobis longe plurimæ sunt causæ non amovendi oculos a Deo toto hoc in vitæ vestræ curriculo, præsertim ve.o gradientibus secus ora tot abruptorum locorum, quibus undequaque septæ sunt viæ, quas tenetis. In salutis via tenebræ citius nos opprimunt, quam in alia quavis, & pericula, per quæ currimus sæpe oculos nostros fallunt. Omnibus itaque in viis nostris de Domino cogitemus, opem illius fidenter imploremus, & diriget ille pedes nostros. *P. Segneri in Meditationibus.*

Medius vestrum stetit, quem vos nescitis. Christiani omnes sciunt Deum medium esse inter illos; sed est, quasi nescirent, quia ad id non advertunt animum, & hæc est omnium malorum nostrorum causa: *Non est Deus in conspectu ejus; inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Si Deus nobis semper esset præsens, quemadmodum nos semper illi præsentes sumus, numquid illi permitteremus tot res, quæ illi displicent? Audetne aulicus committere non equidem dico, scelus, sed quidquam indecorem coram Principe? Volumusne ad Christianismi perfectionem breviori via pervenire? Nosmet tamquam jugiter præsentes Deo existimemus. *Ambula coram me, & esto perfectus.* Genes. 17. Hoc nobis etiam atque etiam commendant sancti, tamquam aliquid, non utile solum, verum etiam saluti necessarium. *Recens Auctor.*

Non satis est scire Deum medium esse inter nos; cogitandum est illū medium esse, & nobis ambulandum esse corā illo.

Ad usum præsentiæ Dei acquirendum non satis est, nobis per fidem esse persuasum, nobis Deum modis omnibus esse præsentem: Opus est etiam ut assidue illi præsentes simus, ut illi perhibeamus eos reverentiæ, honoris, amorisque sensus, quos jure a nobis potest exigere. Ne patiaris igitur, Deum solum esse intra te tamquam Principem derelictum in aula sua, constantius quam fieri poterit mane coram illo; omnes eidem placendi artes inquire, adora illum, lauda, benedic, illi gratias age; luge, temet illi prosterne, ac age pœnitentiam coram illo tot injuriarum, quibus illum affecisti. Sed potissimum sanctum nomen ejus invoca; gaudet ille videns subsidium a se expeti, quia gaudet opitulari. Invoca illum, ut dirigat gressus tuos, ut te in tentationibus sustineat, ut in laboribus roboret, ac ornet te muneribus suis in tua egestate demum, ut adsit tibi præsertim in hora mortis tuæ, quæ in singula momenta potest contingere. Si enim Deus tamquam bonitas ipsa vult de te bene mereri: altera ex parte tamquam tuus, orari vult, ut bene mereatur. Extrinsecus quæro oblectamenta, & lætitiam. cum intra me unicum gestem verumque fontem amicitiæ. Heu! summa premor egestate, quia nescio frui thesauro immenso, quem possideo. Quænam in hominibus ambitio est, ut occupent apud terræ Principem aliquem ex iis honoribus, qui homines Principi propiores faciunt, ita ut facilius gratias obtineant! Tibi semper infinite præsens sum, supreme cœli, terræque rex, possum tibi in singulas horas obsequi, & possum iterare petitiones meas, quin timeam, ut bonitatem tuam defatigem. *P. Segneri Tom. 4. Meditat.*

Scientes per fidem Deum in nobis esse jugiter essemus corā illo, ut eum veneremur.

PROCRASTINATIO PŒNITENTIÆ.

Pœnitentia ad mortem dilata, suspicione non vacat, & sæpe inutilis est; Impœnitentia finalis, &c.

MONITUM.

DE Pœnitentia procrastinatione, deque finali impœnitentia communi titulo agendum censui; quippe duo hæc argumenta necessitudine quadam sibi cohærent, cum alterum alterius causa sit, & effectus: præterquamquod utrumque ad eumdem Salvatoris finem refertur, qui est, ut videlicet mors in peccato timeatur, quod proprie impœnitentia finalis operatur. Hinc fit, quod hoc argumentum aliquam habeat etiam rationem cum morte peccatoris, cum habitu peccati, cum Dei derelictione, de quibus singillatim suo loco actum est, ubi quæ dicta fuere, consuli poterunt, si necessitas jusserit. Reor tamen, quin aliunde quidquam petendum sit, non defuturam satis uberem rerum supellectilem ad argumentum de impœnitentia, vel conversionis mora pertractandum. Notandum solum est, a nobis promiscue conversionis, & pœnitentiæ nomina usurpari ad innuendam vitæ mutationem, integramque, ac sinceram criminis, criminosarumque affectionum omnium dubitationem.

Quod ad impœnitentiam pertinet, de qua seorsim agi potest, hac voce finalem intelligimus impœnitentiam, ad quam conversionis procrastinatio peccatores adducere consuevit: quamvis hæc continuata voluntas in peccato permanendi, necnon negligentia per pœnitentiæ sacramentum scelera sua expiandi, actualis impœnitentia vocari potest, quatenus est ad illam, quæ reprobationi cumulum addit, dispositio.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Multiplex Concionum hujus Argumenti Structura.

I. SI vulgatiores noxiæ hujus procrastinationis, & moræ sine fine interjectæ conversioni causas diligentius excusserimus, ad tres potissimum redigi intelligemus; 1. in aliis stupor est, acidia, divinarum rerum tædium; 2. in aliis amor peccati, noxia aliqua familiaritas, vel affectio illis imperitans, eosque in turpi retinens servitute; 3. in aliis denique cæcitas mentis est, & obduratio cordis, quæ efficit, ut neque judiciorum Dei metu, neque æternæ damnationis suæ periculo moveantur. Itaque assero differre pœnitentiam, & conversionem per acidiam, divinarumque rerum fastidium, idem esse ac subire periculum, ne mors cunctantem in impœnitentia deprehendat: 2. pœnitentiam; & conversionem differre propter amorem peccati, idem esse ac periclitari, ne ultricis justitiæ Dei effectu peccator in impœnitentiam moriatur: 3. denique pœnitentiam per mentis cæcitatem, & cordis obdurationem differe, idem esse, ut ita dicam, ac ad interim festinare, atque mortem in peccato inevitabilem facere.

Pars prima. Quod ad acidiam pertinet, vix credi potest. quot peccatoribus lethalem soporem immittat: illa efficit, ut a pœnitentiæ tribunali peccator habitu quodam procul absit; utque de die festo in alium semper differatur, atque in tempus aliud remittatur confessio. Hujus viæ mortalium satis communis est character, ita ut nequeat ignorari. Hi nequaquam insignes sunt peccatores, de quorum sceleribus homines passim obloquantur; occulti peccatores sunt, turpibus obnoxii vitiis, & criminibus, quæ mollities quidem parit, alit autem ignavia. Nulla in re sibi vim possunt inferre; cumque non modica inferenda sit, ut peccator se colligat, resipiscat, vitæ rationem mutet, sibique suas oblectationes interdicat, nequit certum capere consilium, & ita de die in diem, de anno in annum differt pœnitentiam. Neque putes, idgenus peccatores per intervalla nullis tumultibus, sollicitudinibus, conscientiæ stimulis agitari; sed acidia, quæ illis dominatur, quamprimum omnia sedat. & mulcet. Cæterum cum timor unus ille fere sit affectus, quo eo in statu moveri possint, sexcentas sibi proponunt chimericas difficultates in hoc reditu ad pœnitentiam. Modo enim pudor obest secretas iniquitates in Sacerdotis auribus retegendi; modo timor in Ministro Dei inveniendi nimis severum divini juris patronum; modo austeritates, quas pœnitentia præscribit; obligatio orandi, vigilandi, sese mortificandi, a noxiis societatibus recedendi, ac subinde sese ab aliis seorsim colligendi. Quæ omnia, cum conciliari minime queant cum ignavia, efficiunt, ut semper differant pœnitentiam, & nunquam incipiendi ineant consilium. Hinc fit, quod acidia hæc illos certissime ad impœnitentiam adducat, quin illi ne intelligant quidem; quia mors illos ut plurimum hoc in statu deprehendit.

Pars altera. Si peccatori ignavo metuendum est, ne a morte in impœnitentia deprehendatur, secundo loco affirmo, illi, qui per amorem suo crimini adhæret, metuendum esse, ne ultricis justitiæ consilio in impœnitentia moriatur. 1. Hunc non pudor, non timor retinet; jejunia, preces, omnesque pœnitentiæ austeritates illius conversionem prohibere non possent, si hæc simul esse possent cum affectionum ejusdem objecto. Verum cum pœnitentia simul esse nequeat cum noxio amore, consilium capit diutinæ impœnitentiæ, quæ est semper differre pœnitentiam. Hujus vitæ hominibus dictum censendum est, quod olim Dei filius dixit Judæis: *In peccato vestro moriemini.* Joann. 8. Dico autem 1. justo divinæ justitiæ consilio vulgo hanc contemptæ misericordiæ fieri reparationem; & justificationem hanc quodammodo providentiæ deberi. 2. Hanc esse pœnam, quam Deus per Prophetas suos peccatoribus minitatur: *Iniquitates suæ capiunt impium. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam.* Prov. 5. Quoties accidit, ut peccatores inter effusam in omne libidinum genus licentiam, alii in scelerum suorum æstu ad plures abierint? Nunquam Dei justitia, & ultra magis effulget, quam in id genus publicis suppliciis, quæ alii documento sunt, & ostendunt, hos peccatores vehementi affectu criminibus suis inhærente ita mori, uti vixerunt, videlicet in impœnitentia.

Pars tertia. Non desunt cæci, induratique peccatores, & qui tales effecti sunt Dei gratiis resistendo, quibus millies urgebantur, ut tandem peccatis abstinerent, ac de salute sua cogitarent. Nunc nullis cœli afflatibus moveri possunt; immo sibimetipsis interdixerunt, quidquid eos ab erroribus suis poterat revocare: omnes religionis sensus suffocarunt, omnia fidei lumina extinxerunt, omnes conscientiæ stimulos retuderunt, jamque Athei sunt, qui omnem Dei timorem abjecerunt. Nonne patet hos in impœnitentia propter cordis indurationem moriturus, a Deo in illo statu relictos, ad quem per scelus sese redegerunt?

De pœnitentia ad mortem dilata. Ostendere potes, II.
peccatorem, qui tandem accedente mortem suam incipit pœnitentiam, nunquam fere eam facere, quæ ad salutem sufficiat. Hæc sunt argumenta.

1. Hoc etiam posito, quod subita morte, quæ illum de conscientiæ suæ statu deliberate prohibeat, minime deprehendatur, pœnitentia tunc temporis fere numquam est integra quoad confessionem. Etenim in morbis ipsis, qui mentis libertatem non auferunt, quo terrore, ac stupore corripitur extremis momentis acerbæ illius discessionis? Quot domesticorum negotiorum impedimenta expedienda sunt? Quomodo in eo tumultu, ac perturbatione repeti possunt complures anni impœnitentiæ? Quomodo eo temporis præcipiti lapsu in memoriam revocari possunt numerus, species, & peccatorum circumstantiæ? Quomodo sese diligenter excutere, utrum aliquid alieni possideatur, atque certum esse id ante obitum restitutum iri? Quomodo reparari possunt detractiones, & calumniæ, scandala, injuriæ, & damna proximo illata? Quoties cogitatio recurret ad ea bona, quibus perfruebaris, & quæ mox tibi relinquenda sunt! Hæc omnia sensus omnes a veræ pœnitentiæ proposito avertunt. Ubinam ergo tunc integritas confessionis, cujus defectus minime rejici possunt in morbi circumstantias, neque in afflictas corporis vires; etenim cur tandiu dilata fuit pœnitentia; cur in illud rejecta momentum, quo nullatenus, ut par est, fieri posse liquebat?

2. Pœnitentia in morte peracta, & ad extremum usque illud spatium reservata fere nunquam sincera est quoad voluntatem, certumque peccati relinquendi consilium. Tunc peccatum non ultro deseritur, sed necessario; vera conversio non est cordis, quod cum determinatione mutat objectum, sed impossibilitas est ea bona servandi, quæ morte auferuntur; denique coactum est sacrificium, quod Deo minime placet.

3. Pœnitentia, quæ sub extremum vitæ spatium fit, fere nunquam est supernaturalis: humanus incerti exitus timor sæpe sola illius causa est, & raro ibi Dei gratia aliquam obtinet partem. Hæc Sancti Augustini sententia est: peccator, ait ille, pro extremis illis momentis Dei sui gratiam minime expectet: mors in justitia merus est divinæ effectus misericordiæ; & hanc veluti sibi legem irrogavit Deus gratiam suam negandi peccatoribus, qui dum viverent, eam contempserant.

Pœnitentiam, & conversionem in extremum vitæ III.
spatium differentibus tria sunt metuenda.

1. Ira Dei, qui hanc sibi reservare consuevit horam, ut nostras dilationes, moras, frigiditates, & contemptus gratiarum, quæ tamdiu dissimulavit, puniat subtractione earumdem gratiarum, & negatione illius, quæ præ cæteris præstantissima est, finalis videlicet perseverantiæ.

2. Affectiones, & pravi habitus nostri, qui eo ad nos perdendos fortiores sunt, quo corporis, animique facultates sunt infirmiores.

3. Dæmon denique, qui nihil sibi temporis superesse videns, nihil inausum relinquit, ut peccatoris conversionem prohibeat modo periculi cogitationem auferens, modo pœnitentiæ voluntatem avertens, modo terrorem incutiens morituro, eumque adigens ad desperationem &c.

Potens ratio ad pœnitentiam amplectendam; ac si- IV.
ne mora nosmet ad Deum convertendos est cogitare, quod quo magis differimus, eo nequiores, & improbiores evadimus; ideoque periculum subimus, ne unquam veram pœnitentiam efficiamus. Argumenta desumuntur.

1. Ex parte Dei, qui fatigatus expectando eos, qui voci illius aures obstruunt, gratias suas negat abutentibus, ac tandem deserit animas, quæ per infidelitates suas illi resistunt.

2. Ex parte nostri ; quo enim magis pœnitentia differtur, eo difficilior evadit pœnitentia, & vera conversio propter malos habitus, qui quotidie invalescunt, ac propter affectiones, quæ in dies magis confirmantur, quæ tunc nonnisi ægre, & velut ab invitis relinquuntur.

3. Talis est natura temporis, cujus ne momentum quidem nobis certum est, in quo nulla spes est constituenda.

V. 1. Pœnitentia in morte per se difficillima est ; tempus minus aptum est, peccator minus idoneus, morbi dolores prohibent ; sexcentæque aliæ ingruunt cogitationes, quæ totidem obices statuunt.

2. Pœnitentia hæc longe illis adhuc est difficilior, qui in illud usque tempus distulerunt, propter exiguum temporis, quod superest, spatium, propter conscientiæ impeditissimam confusionem, propter defectum subsidiorum, quæ tunc haberi non possunt.

VI. Duæ propositiones concionem partiri possunt.

Prior : nullam spem esse magis inanem, temerariam, & stultam, quam peccatoris, qui de conversione sua minime sollicitus, dum gratia illi opem, & occasionem præbet, semper differt, ac præsumit adfore tempus, quo gratia, & occasio illi sint profuturæ.

Posterior : nihil Deo contumeliosius esse, quam præsumptione peccatoris conversionem suam in tempus oppurtunum differentis. *P. Massillon Sermone de falsa peccatorum confidentia.*

VII. 1. Pœnitentiæ procrastinatio tandem Dei patientiam fatigat, postquam ille tandiu peccatores expectaverit.

2. Hi misericordiarum, ac beneficiorum Dei fontem exhauriunt abutentes tempore, & adminiculis, quæ sibi præbentur, ut ex infelici statu, in quem sese conjecerunt, emergant.

3. Dei justitiam irritant, licet non impune ; illa quippe aliqnando severior erit, quo lentior.

VIII. De Pœnitentia in mortem dilata : *Quæretis me, & non invenietis.*

1. Deum quærent peccatores, qui, dum viverent, abjecerunt, & contempserunt illum ; neque illum invenient, quia non quærunt eo modo, ac tempore, quo quærendus est.

2. Non invenient, quia Deus vicissim recedet, atque sese abscondet : frustra illum invocabunt ; etenim fugiet, quemadmodum minitatus est.

IX. 1. Quam horribile malum est mori in peccato, & impœnitentia : malum infinitum sine evadendi spe, & ad æternam adducens infelicitatem.

2. Quinam illi sint, qui in peccato, atque in impœnitentia moriuntur ? Qui videlicet de die in diem pœnitentiam procrastinant, eamque in mortis horam rejiciunt.

3. Hi in peccato, & finali impœnitentia moriuntur, & quomodo hoc accidat.

X. Pœnitentiæ procrastinatio, & adfectata negligentia ex peccati habituali statu emergendi fere manifestum est, certissimumque reprobationis indicium.

1. Quia hæc mora non aliud est, quam perennis impœnitentia, quæ quo diutior est, eo propius ad finalem impœnitentiam accedit, quæ cumulum addit reprobationi peccatoris de dies in dies conversionem, ac vitæ mutationem differentis.

2. Quia hæc procrastinatio effectus est habitualis securitatis, & quietis, quæ in peccato invenitur : qui enim sine metu, stimulisque peccat, in peccato suo permanet, atque persistit, quin inde emergere studeat. Quod autem majus argumentum est fore, ut in peccato moriaris, quam in eo ad extrema usque vitæ momenta permanere, ubi utrum tempus aderit, ratio, & ipsa etiam voluntas scelera relinquendi, incertum est.

3. Quia hæc mora indesinenter recentia addit peccata, quæ conversionem difficiliorem efficiunt, & quæ tandem divinam ultionem irritant, cujus effectus maxime terribilis in hac vita est reprobatio.

XI. Qui de die in diem sese convertere tergiversantur, 1. abutuntur misericordia Dei illos ad pœnitentiam expectantis ; cum enim mors debita sit peccatori, statim ac scelus patratum fuit ; quot sunt momenta, quibus illos vivere sinit, eorumque differt supplicia, tot sunt gratiæ, & effectus suæ misericordiæ.

2. Abutuntur misericordia Dei illos vocantis : quot enim interiora lumina extinguunt ? quot gratiæ, ac cœlestes afflatus contemnunt ? &c.

3. Abutuntur misericordia Dei offerentis veniam, si velint sincere converti ; quia veniæ spes, atque temeraria in misericordiam ejus confidentia efficit, ut pœnitentiam agere detrectent, eamque in vitæ finem rejiciant. *Biroat, Sermone altero in feriam quartam post primam Quadragesimæ Dominicam.*

XII. Ostendi potest, spes peccatorum, qui pœnitentiam in mortem differunt, ut plurimum decipi.

1. Quia decipiuntur tempore, quod sibi pollicentur, ac in sua potestate non habent.

2. Decipiuntur gratia, quam tandiu neglectam jure illis denegat Deus.

3. Decipiuntur propria voluntate, quæ tunc temporis, nec sincere, nec efficaciter peccatum relinquet.

XIII. De morte in peccato, & in impœnitentia : distingui possunt tria personarum genera, qui ita moriuntur, quorum imprudentia efficere potest per varietatem characterum ipsorum, & per ea, quæ ipsorum calamitatem subsequuntur, ut nosmet colligamus, ac nobismet consulamus.

1. Primi in actuali impœnitentiæ suæ infelicitate moriuntur, hoc est in desperatione, vel diffidentia de misericordia Dei.

2. Alii moriuntur sine ullo pœnitentiæ genere, sine dolore, sine sacramentis, sine sacerdotum auxilio.

3. Postremi in falsæ pœnitentiæ exercitio moriuntur. *Pater Bourdalove in Sermonibus sub ejus nomine editis, Sermone pro feria secunda post secundam Dominicam.*

XIV. Duas maximi momenti hac in re veritates vobis explicandas aggredior.

Altera est : Differre in singulos dies pœnitentiam idem est, ac sese objicere in discrimen non agendi pœnitentiam.

Altera vero : Ubi agitur pœnitentia, postquam extremum vitæ spatium expectatum fuerit, qui terminus est, in quem peccatores illam vulgo rejiciunt, hanc suspicione nequaquam vacare, & metuendum esse, ne utilis sit. *Auctor Sermonum Christianorum in omnia Ethica christianæ argumenta serm. pro fer. 2. hebd. 2. in Quadrag.*

XV. Impœnitentia vitæ, vel mora, quæ nectitur conversioni, ad mortis impœnitentiam adducere consuevit.

1. Propter habitum ; quia iidem habitus manent ; & si unquam, in morte profecto per habitum operamur. Pœnitentiam, dum viveres, distulisti : homo es consilia capiens, quin aliquid unquam exequaris ; in morte etiam in singulos dies, horasque differes pœnitentiam.

2. Propter affectiones, & impedimenta : impœnitentia enim quandam veluti catenam nectit, qua peccator ita vincitur, ut eam fere nequeat infringere.

3. Propter obdurationem, sensuumque carentiam : qui enim in peccatis perseverat, ita induratur, ut nulla re amplius afficiatur, & ita moritur, uti vixit.

PARAGRAPHUS ALTER.

Fontes Auctoresque, unde hauriri copia potest ad proposita concionum argumenta exornanda.

Sancti Patres.

SAnctus Augustinus *lib. 8. Confess. cap. 5. & 11.* mirum in modum describit moras, quas ipse suæ conversioni nectebat, & suos hac de re sensus adfert.

Idem *Exposit. in Psalm.* 102. explicat quot modis Deus peccatores ad pœnitentiam vocet, & caussas, quas illi prætexunt, ut illam differant.

Idem *Serm. 59. de Verbis Domini* loquens de Patre familias operarios in vineam suam conducente, ostendit non tergiversandum esse, ut a Domino vocemur.

Idem *in explicat. horum verborum Exodi : Induravit Dominus cor Pharaonis*, ostendit Deum, postquam diu peccatores expectavit, eosque urgere non desiit, ut se convertant, eos tandem in eorum obduratione relinquere, atque deserere.

Idem *in expos. Psalm. 32.* docet, tempus misericordiæ, quo nos expectat Deus, tempus esse præsens ; sed mox justitiæ tempus adfuturum, ubi nullus erit amplius pœnitentiæ locus. Hoc ipsum aliis docet verbis in Psalm. 60. hæc explicans verba : *Misericordiam, & veritatem ejus quis requiret ?* & in eumdem Psalm. ostendit non esse tantum in Dei misericordiam confidendum, ut non timeatur ejus potentia, & ratio, quam habet puniendi.

Idem *tract. 33. in Joann.* docet, quam periculosum sit differre pœnitentiam.

Idem *lib. 50. Homiliarum Homil. 40. Et in Sermonibus de Tempore*, ostendit dubiam esse, nec suspicione vacuam pœnitentiam in mortis tempus dilatam.

Idem *lib. de vera, & falsa Pœnitent.* agit de peccatorum pœnitentia in morte peracta, postquam per totum vitæ spatium fuerit dilata.

Sanctus Hieronymus *Epistol. 22. ad Eustochium* docet nullam adhibendam esse moram, Deo vocante.

Idem *lib. 7. cap. 22. Isaiæ, & lib. 9. in cap. 30. ejusdem* ostendit, quam noxia sit dilatio, cum Deus peccatores ad pœnitentiam invitat.

Idem

Idem *lib. 2. in cap. 5. Isaiæ* in hæc verba : *Væ qui trahitis vanitatem in funiculis vanitatis*, acriter in illos invehitur, qui in sceleribus suis perseverant, quia jampridem illos sustinet Deus.

Idem *lib. 16. cap. 16. Isaiæ*, docet Deum, postquam diutius expectaverit peccatores, tandem illos ulcisci.

S. Ambrosius *lib. de Pœnit. cap.* 11. ostendit, quam indigna, & contumeliosa Deo sit hæc procrastinatio.

S. Chrysostomus *Homil. 31. in Genes.* exemplo Abrahæ docet celeriter, & sine cunctatione Deum vocantem sequendum esse : *Egredere de terra tua, & de cognatione tua.* Genes. 12.

Idem Homil. 14. in Matth. hæc explicans verba : *relictis retibus secuti sunt eum*, loquitur de celeritate, qua voci Dei obtemperandum est.

Idem *Homil. de Pœnit. ad popul. Antioch.* Auditores etiam, atque etiam hortatur, ne differant conversionem.

Sanctus Gregorius *Homil. 12. in Evangel. & in Decalog*, loquitur de pœnitentiæ dilatione, & hanc in rem funestas refert historias.

Tertullianus *lib. de pœnit. versus finem* peccatores urget, ne differant pœnitentiam, sed quamprimum ad hoc remedium confugiant.

Sanctus Gregorius Nazianzenus *Oration. in sanct. Baptism.* docet, nefas esse dæmoni meliorem vitæ partem tradere, & reliquum Deo reservare.

S. Basilius in libro, cui titulus : *Admonitio ad filium spiritualem*, eum monet, ne adolescentiæ criminibus sese abdat, sperans se vergente in senium vita pœnitentiam acturum.

Idem *Orat. 4. de pœnit.* plures adfert rationes, ut peccatori persuadeat, ne diutius conversionem suam differat, & quamprimum pœnitentiam agere instituat.

Auctor operis imperfecti in S. Matthæum Homil. 5. ita diffidit de pœnitentia, quam peccatores sub mortem reservant, ut arbitretur plerosque nequiores, quam erant, e vita decedere.

Salvianus *l. ad Eccles. Cathol. sub finem* ostendit, affirmari non posse, eos, qui pœnitentiam agere distulerunt, tunc veram, sinceramque agere pœnitentiam.

S. Bernardus *serm. 27. de modo bene vivendi* ostendit ; cum in vita agitur pœnitentia, locum esse sperandi futurum, ut apud Dei misericordiam peccatorum veniam obtineatur ; verum non deesse dubitandi locum, utrum obtineatur, cum qui male vixit, pœnitentiam distulit in mortem.

Ascetici aliique.

Dionysius Carthusianus *Opusc. de convers. peccator. art.* 2. ostendit, quod conversionem differre, idem est, ac tempus insumere, quin quidquam meriti obtineatur, immo peccata sua accumulare, & indesinenter recentia perpetrare.

Ludovicus Granatensis in duce Peccatorum tomo tertio *c. 24. & 25.* fusius hoc tractat argumentum.

P. Haineuve in libro, cui titulus : *Magna via, qua mundum perdit*, 1. *part. sect.* 3. ubi loquitur de morte in peccato mortali, ostendit eos, qui vulgo in peccato moriuntur, esse peccatores, qui in mortem differunt conversionem.

P. Chahu libro, cui titulus : *Prædestinationis secretum* : tractatu de bene, & male valentium pœnitentia, fusius loquitur de procrastinationis hujus inutilitate, & periculo.

P. Guilleminot in libro, qui inscribitur, *Christiana sapientia* cap. 14. de re eadem fusius verba facit.

P. Antonius de S. Martino a Porta in libro, qui inscribitur : *Les Conduites de la Grace &c.* tract. 1. sexta fundamentali veritate.

Moralis Christiana *in Pater lib. 7. sect. 1. art.* 8. ubi Auctor ostendit, periculosæ opus plenum aleæ esse de uno in aliud tempus, & multo magis in mortem usque pœnitentiam differre.

P. Nepveu tomo 1: Considerationum Christianarum utiles habet, ac prudentes de hac procrastinatione considerationes.

Liber, qui inscribitur : *Bellum vitiis*, prælio contra impœnitentiam.

P. Croiset in primo tomo *Recessus spiritualis*.

Recupitus de signis prædestinationis, & reprobationis, secundo reprobationis signo.

Dandinus in Ethicis sacris lib. 11. de morte cap. 7. de morientium pœnitentia.

Specimen Ethicum in tractat. 1. de Novissimis.

Raynerius de Pisis in Pathologia titulo pœnitentia cap. 6. Pœnitentiam non esse differendam usque ad mortem.

Concionatores recentes.

P. Delingendes sermone pro feria 3. hebdomadæ 2. in Quadragesima, ubi loquitur de morte in peccato.

Biroat sermone secundo pro feria 4. post 2. Quadragesimæ Dominicam, ubi ostendit eos, qui differunt pœnitentiam, Dei abuti misericordia.

Idem sermone pro feria 5. post 4. Quadragesimæ Domin. ubi ostendit eos, qui ita differunt pœnitentiam, decipi tempore, Dei gratia, & propria voluntate.

Abbas de Aubignac in editis sermonibus unum habet hujus argumenti.

Maimbourg, sermone pro feria 2. post alteram Quadrages. Domin. loquitur de gravissimo hujus vitæ malo, hoc est de morte in peccato.

P. Texier in Adventu de impio infelici serm. 14. ubi ostendit impium maledictum esse in pœnitentia sine dolore.

Idem in Quadrages. Sermone pro Domin. Passionis ostendit pœnitentiæ dilationem notam esse reprobationis.

Mathias Faber *Domin. 3. Quadrag. cap.* 8. refert caussas, propter quas peccatores differunt pœnitentiam.

Auctor sermonum christianorum, tom. 2. serm. pro 4. Adventus Domin. de pœnitentiæ procrastinatione.

Idem serm. pro 1. Domin. post Epiph. rationes adfert, propter quas peccator non invenit Deum, cum illum quærit.

Auctor sermonum in omnia Ethicæ Christianæ argumenta, sermone pro feria 2. hebdomadæ 2. in Quadragesima hoc argumentum pertractat.

P. de la Colombiere, sermone de necessitate sese præparandi ad mortem.

P. Aurelianensis sermone de usu confidentiæ in peccatorum conversione.

P. Massillon sermone, qui eidem refertur acceptus pro feria secunda post Domin. Passionis de falsa peccatorum confidentia.

P. Giroust sermone pro feria secunda hebd. 2. in Quadrages. de impœnitentia finali.

Inter morales sermon. unum hujus argum. reperies.

In sermone P. Bourdalove, & in alio P. Cheminais in Magdalena, egregie quædam invenies ad pœnitentiæ celeritatem, & dilationem spectantia.

P. Bourdalove præterea sermonem habet pro feria secunda post 2. Quadrages. Domin. de illis, qui in impœnitentia moriuntur.

In Specimine sermonum pro adventu, sermo sextus secundi argumenti, septimus tertii est pœnitentiæ procrastinatione.

In Specimine eodem pro Quadragesima tomo 1. quartum argumentum pro feria secunda hebdomadæ secundæ est de dilata pœnitentia.

Qui collectanea ediderũt.

P. Ludovicus Granatensis, in locis communibus, titulo *Dilatio pœnitentiæ*.

Basæus in Panario, titulo *Procrastinatio*.

Labata, tutulo *Pœnitentia*, propos. 28.

Lohner *Bibliotheca Manualis* tomo secundo, titulo *Pœnitentia*.

Summa Prædicantium, titulo, *Pœnitentiam quamprimum facienda*.

Peraldus *p. 2. de vitio Acediæ c. 5. de vitio dilationis.*

PARAGRAPHUS III.

Loci, Exempla, & Applicationes Scripturarum huic Argumento.

QUamdiu ponam consilia in anima mea? Psalm. 12. *Filii hominum usquequo gravi corde?* Ps. 4.

Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. Psalm. 94.

Vocavi & renuistis, despexistis consilium meum, & increpationes meas neglexistis ; ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis, advenerit. Prov. 1.

Tunc invocabunt me, & non exaudiam ; mane consurgent, & non invenient me, eo quod exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo. Ibid.

Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Prov. 5.

Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit. Prov. 18.

Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Prov. 22.

Ossa ejus implebuntur vitiis adolescentiæ ejus, & cum eo in pulvere dormient. Job 20.

Ne adjicias peccatum super peccatum, nec dicas : Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur ; misericordia enim, & ira ab illo cito proximant, & in peccatores respicit ira illius. Eccli. 5.

Ne impie agas multum, ne moriaris in tempore non tuo. Eccle. 7.

Cor durum habebit male in novissimo. Eccli. 3.

Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de dic

die in diem; ſubito enim veniet ira illius, & in tempore vindicta diſperdet te. Eccli. 5.

Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere; & gloriaberis in miſerationibus illius. Eccli. 17.

Ne dixeris: Peccavi, & quid mihi accidit triſte? Altiſſimus enim eſt patiens redditor. Eccli. 5.

Quærite Dominum dum inveniri poteſt; invocate eum dum prope eſt. Iſaiæ 55.

Peccator centum annorum maledictus erit. Iſai. 65.

An divitias bonitatis ejus, & patientiæ & longanimitatis contemnis? ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Ad Rom. 2.

Secundum duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ. Ibid.

Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. 2. Ad Corinth. 6.

Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Ad Epheſ. 5.

Nolite errare, Deus non irridetur; quæ enim ſeminaverit homo, hæc & metet. Ad Galat. 6.

Quæretis me, & non invenietis, & in peccato veſtro moriemini. Joann. 7. & 8.

Exempla ex Veteri, Novoque Teſtamento deſumpta.

Cain mortuus eſt in impœnitentia.

PRimum, quod in Bibliis occurrat, impœnitentiæ exemplum eſt infelix Cain, improborum omnium primipilus. Poſt trucem fratris ſui mortem, cujus ſanguis, quo primum rubuit tellus, fuit vox, quæ a Deo ultionem clamans petiit; minax vox Domini, tanquam tonitru hominem hunc perterruit quidem, non autem convertit. Confeſſus eſt peccatum ſuum, quia illud negare amplius non poterat; ſed Sathanas, qui illud huic ſuaſerat, tale, ac tantum, poſtquam patratum fuit, illi repræſentavit, ut omnem ſpem veniæ illi ademerit, atque ad deſperationem adegerit. Nimis magnum ſcelus meum eſt, dicit ille Deo, quam ut veniam merear: & quin doloris, & pœnitentiæ ſenſus foveret, quin in id curam, animumque intenderet, ut Deum precibus leniret, lacrymiſque crimen elueret, in eo ſtetit, ut ea ſolum vereretur mala, quæ ſibi ab hominibus poterant ingruere. Tu me fugitivum, & erronem in terra facis, ait, & quicumque invenerit me, occidet me. Iram Dei ipſius ne reputat quidem; in humanæ dumtaxat iræ conſideratione ſubſiſtit: deplorabile quærit ſolatium in Dei promiſſione, qui illum nequaquam interfectum iri pollicetur; neque laborat majus illud obtenturus ſolatium, quod præcipue ab ipſo erat quærendum, peccati videlicet veniam, doloremque, quo pro propter illud confici debebat: & hoc pacto per ſuam pertinaciam, atque deſperationem factus eſt reproborum omnium anteſignanus.

Pharaonis impœnitentia, & induratio.

Pharao, vulgo reſpicitur tamquam cordis indurati, & impœnitentis exemplum, quod ſeſe dedere, atque Domini imperio obtemperare ſimulabat, dum ultionis ejuſdem flagella experiebatur; ſed qui ſtatim ac eadem excuſſerat, mordicus in prima perſiſtebat ſententia, ita ut flecti nequaquam potuerit, quantacumque coram illo a Moyſe patrata fuerint miracula. Agnovit tandem rebellis iſte, ſed cum tempus non erat amplius, Deum pro Iſrael decertare; Ærithræi quippe maris fluctibus abſorptus in alteram migravit vitam obdurationis ſuæ digniſſimas pœnas ſubiturus.

Supplicium Achan, qui ſcelus ſuum morti proximus tandem confeſſus eſt.

Achani exemplo docemur peccatorum confeſſionem, ac pœnitentiam in extremum vitæ ſpatium non eſſe rejiciendam. Achan in Jerichuntina obſidione regulam auream, palliumque coccineum ſuffuratur contra explicitum Dei mandatum, quo cautum fuerat, ne quis civitatis hujus anathemati devotæ ſpolia retineret. Contra furem hunc irritatus eſt Deus, eumque ſeveriſſimis affici jubet ſuppliciis. Verum quomodonam agnoſci, detegique poteſt hujus ſceleris auctor, quem viderat nemo? Joſue hac de re conſulit Dominum; conquiritur nocens, ac urgetur, ut prolato in medium, quod ſuſtulerat, nollet extrema experiri. Agnoſcit Achan ſcelus ſuum, quod teterrimis coloribus eidem ob oculos ponit conſcientia, ſed non ideo movetur: ſortes conjiciuntur in Tribum, unde originem ducit, non loquitur; ſors ſuper ejus familiam cadit; metus quidem cor ejus adoritur, lingua vero obmuteſcit; denique detegitur Achan, cogiturque ſcelus fateri ſuum, quod nequit amplius abſcondere: ſed juſtum, quod merebatur, ſupplicium non evitavit. Hoc pleriſque peccatoribus accidit, qui peccata ſua confiteri, eorumque pœnitentiam agere in illud temporis ſpatium differunt, quo ultra differre non potuerunt. Sed tunc non eſt tempus amplius: quippe illorum coacta eſt pœnitentia, & ab invitis extorta. Scelerum ſuorum veniam fuiſſent aſſecuti, ſi opportune ſinceram eorum confeſſionem feciſſent, verumque dolorem concepiſſent, atque aliena dominis reddidiſſent: ſed in finem uſque diſtuliſſe, hoc eſt in cauſa, quod confeſſio ſæpe inutilis eſt.

Falſa pœnitentia Eſau.

Externa pœnitentiæ ſigna, quæ peccatores morientes præſeferunt, nequaquam certa ſunt veræ pœnitentiæ argumenta; & quamvis ſemper illa æqui, bonique facimus, & in meliorem partem interpretamur, nullo tamen ſunt in diſcrimine habenda, neque illis omnino fidendum. Lacrymæ e. g. tunc temporis magnam vim habent, & beatus, qui illas ex corde effundit, verum memento quot lacrymarum imbres effuderit ille, qui per intemperantiam ſuam primogenita amiſit. Ex Apoſtoli ad Hebr. 2. ſententia ille *non invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam*; neque enim propter Deum, ſed propter jacturam, quam fecerat, lacrymabatur. Alia doloris indicia; proteſtationes, quæ tunc fiunt, conſilia, quæ fideliter in poſterum adimplenda proponuntur, non ſunt minus æquivoca: vulgo enim videmus, ubi periculum evanuit, nullam fieri morum immutationem.

Quid ex Abimelechi morte diſcendum eſt.

Abimelech, ſi quis unquam, ambitioſiſſimus Princeps, ſtrenue murorum ruinam conſcendit arcem quamdam vi facta capturus; ſed eodem temporis momento mulier quædam in caput ejus tegulam dejicit, & victori lethale vulnus infligit. Viro iſti, quin ad Deum confugeret, extremaque vitæ momenta in æternitatis cogitationibus impenderet, morienti nihil niſi mundi gloria, qua nihil ipſi erat antiquius, ob animum verſatur. Quid igitur, ait ille, Abimelechi memoriæ poſteritas exprobrabit, illum manu mulieris fuiſſe interfectum? Tantam non patiar injuriam, enſem tuum ſtringe, ait ille armigero ſuo, ut manu tua moriar: *Evagina gladium, & percute me.* Jud. 9. Quid autem? infelix, S. Chryſoſtomus inquit, extrema vitæ momenta in ſanis id genus cogitationibus teris? Quid? *jamjam moriturus hæc cogitas?* Hic ambitioſus erat, cui eo, quo vixerat, pacto erat moriendum. Hoc ipſum omnibus fere morientibus peccatoribus accidit: moriuntur cum iiſdem ambitionis, avaritiæ, ultionis, voluptatis habitibus, quos habebant, dum viverent: non aliæ in mente illorum verſantur immagines, non alia in voluntate ſtudia, quam quæ veteres affectiones in illis aluere.

Celeritas pœnitentiæ David.

Non diſtulit diu adulterii, cædiſque a ſe patratæ pœnitentiam David; & S. Ambroſius in Regis hujus apologia, quam concinnavit, hoc animadvertit potiſſimum, Regem hunc, ſtatim ac a Propheta Nathan correptus fuit, agnoviſſe, & confeſſum fuiſſe crimen ſuum, & illico egiſſe pœnitentiam, quam in vitæ uſque finem perduxit, itaut doloris magnitudine omnem peccati labem abſterſerit. Vide, Sanctus hic Doctor ait: *Ille rex tantus, & potens, ne exiguo quidem momento manere penes ſe delicti paſſus eſt conſcientiam; ſed præmatura confeſſione, atque immenſo dolore, reddidit peccatum ſuum Domino.*

Amon filius Manaſſis, patris ſui fretus exemplo impœnitens moritur.

Manaſſes Rex quinquaginta vitæ ſuæ annos in omni nequiſſimorum ſcelerum genere traduxerat; ſed cum deinde ad Deum confugiſſet, & ſua ploraſſet peccata, Deus illius pœnitentiam excepit, eique æternæ ſalutis gratiam conceſſit. E contra vero Amon filius ejus, qui primam patris ſui vitam, & flagitia imitatus eſt, ubi regni ſolium obtinuit, biennio tantum regnavit, ac in ſceleribus ſuis animam efflavit. Cur hoc? Quia, ex eruditorum auctorum ſententia, conſilium inierat patrem ſuum imitandi, ac tandem ſub extremum vitæ ſpatium pœnitentiam agendi. At Deus, qui non vult hominem ita de ipſius miſericordia præſumere, ut inde occaſionem arripiat in ſcelere perſeverandi, una cum annis inanem illi ademit ſpem, & hujus præſumptionis pœnam aliis, quæ tot ſceleribus debitæ erant, adjecit. Si igitur exempla vultis imitari, Amonem inſpicite, juvenem Regem hunc cogitate, ac Dei manum, quæ illum prævertit, formidate.

Coacta, & inutilis Antiochi pœnitentia in morte.

Exemplum hoc de concionatoriis ſuggeſtibus ſæpiſſime reſonat. Antiochus poſt ſexcenta ſacrilegia, & fanda infandaque omnia contra Judæorum populum perpetrata, ut hos ad veri Dei cultum abdicandum compelleret, incurabili percuſſus plaga, neque putorem, qui ex corporis ipſius tabo, quo totus inficiebatur exercitus, ferre valens, & alioquin graviora ſibi in altera vita metuens ſupplicia, voluiſſet Dei iracundiam mulcere, has omnes evitare pœnas, ac cœleſtem ultionem evadere. Hac mente pollicebatur ſe reſtituturum Templum, quod deleverat, illud magnificis donariis locupletaturum, ac urbem Jeroſolymam in priſtinum nitorem revocaturum, nec non effecturum, ut Judæorum, quam Athenienſium, gloria eſſet præſtantior. Verum cum omnes hujuſmodi pollicitationes ex ſervili tantum timore proficiſcerentur, & ex divinæ ultionis formidine, ſine ulla nequitiæ ſuæ deteſtatione:

tione: Scriptura inquit, illum fruſtra conatum fuiſſe iram Domini lenire: & ab eo invocatum fuiſſe Deum, a quo miſericordiam non erat conſecuturus. Hæc imago eſt pœnitentiæ, quam peccatores agere conſueverunt ſeſe ſub extremæ vitæ ſpatium convertentes, cum mortis terrores, & metus inferni inanem ab illis dolorem extorquet.

Cætera antiquæ legis exempla, quæ non ſunt adeo cognita, neque ad peccatores converſionem ſuam in mortem differre volentes perterrendos accommodata, prætereo.

Prompta Magdalenæ pœnitentia.

Promptitudo, quæ primus eſt veræ pœnitentiæ character, eſt omnium tergiverſationum omiſſio, ubi illa peragenda eſt; neque aliud in Magdalenæ converſione magis animadverſione dignum occurrit: *Ut cognovit quod Jeſus accubuiſſet, &c.* ait Evangelium: *Ut cognovit*, hoc eſt ſtatim ac Deus illius oculos aperuit, & gratia interioribus illuſtrationibus mentem illius irradiavit, illico peccatum perhorruit; ne minimum quidem temporis ſpatium hæſit, non deliberavit, mundo aurem non adhibuit ſuadenti, ne quid leviter, ac præcipitanter aggrederetur; non immorata eſt in hujuſmodi argumentationibus, hoc eſt fallacibus artibus, quæ humana prudentia ſuggerit peccatoribus, ut illis perſuadeat in iis, quæ ad Deum pertinent, nullam unquam ſatis adhiberi poſſe maturitatem, atque diligentiam; hæc omnia Magdalenam minime remorantur. E contra ea ſuperare conſtituit, neque in diem craſtinam ſuam converſionem differre: quare? quia jam in pœnitentiæ ſpiritu operabatur. Cum autem de pœnitentia ſermo eſt, S. Chryſoſtomus inquit, non minus deliberare nefas eſt, quam dubitare, cum agitur de fide.

Prompta Zachæi converſio.

Zachæus ſancta Jeſu Chriſti videndi actus curioſitate aſcendit arborem deſiderio ſuo ſatisfacturus. Hoc erat momentum, a quo Zachæi ſalus pendebat. Niſi arborem aſcendiſſet, Jeſus Chriſtus illum benigno oculo non reſpexiſſet; ſed niſi ſtatim benigno huic divinæ miſericordiæ favori reſpondiſſet celeri vitæ mutatione, id, quod illum convertit, ejuſdem reprobationi inſerviiſſet. Res prorſus aliter accidit; Zachæus enim divina percitus gratia, atque intrinſecus mutatus illico dixit: dimidium bonorum meorum do pauperibus, & ſi aliquid fraudavi, reddo quadruplum; quæ ubi protulit, excepit ſtatim ex ore Salvatoris ſuave illud ſalutis ſuæ pignus: *Hodie ſalus huic domui facta eſt, eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ.*

Prompta S. Petri poſt peccatũ converſio.

Primum principium, propter quod peccator redit ad pœnitentiam, eſt Dei gratia, gratioſuſque divinæ bonitatis intuitus. Sed Sancti Petri exemplo docemur ſtatim ad Deum eſſe redeundum, ubi ille in nos miſericordiæ ſuæ oculos conjecerit, & ubi gratia illius cor noſtrum illuſtraverit, atque tetigerit: *Converſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt verbi, quod dixerat ei.* Luc. 22. Statim ac Salvator illum reſpexit, meminit eorum, quæ ſibi ab eo dicta fuerant, atque eo ipſo temporis momento ſincerum peccati ſui dolorem concepit. S. Chryſoſtomus de hoc S. Apoſtolo verba faciens in Homilia, quam de Jona conſcripſit, S. Petrus, ait, non petiit plurium annorum ſpatium, ut de pœnitentia deliberaret; ſed nocte eadem, qua cecidit, & reſurrexit; eodem tempore, quo vulnus ſenſit, medicinam expertus eſt, cujus virtute convaluit: *Petrus ad Pœnitentiam non multorum ſpatia poſtulavit annorum, ſed ipſa nocte, qua cecidit, ipſa quoque ſurrexit.*

Quid S. Pauli converſio nos doceat.

S. Pauli converſio duas maximi momenti veritates nos docet: primum magnum hunc Apoſtolum non recepiſſe pœnitentiæ gratiam in humiliationis exceſſu, quod aliis pœnitentibus accidit; ſed in vehementia paſſionis, cum cædem dumtaxat, ſanguinemque anhelaret. Hoc miraculum eſt, quod Deus non omnibus facit diebus, neque facere tenetur, ideoque, quod ab aliquo ſit expectandum. Veritas altera eſt, hunc eumdem Apoſtolum celeriter paruiſſe voci Dei, quin ullam prætexeret excuſationem, vel necteret moram: *Domine quid me vis facere?* Actor. 9. Quod ipſe mox in Epiſtola ad Galatas cap. 11. teſtatus eſt, ſe nulla re teneri, aut retardari potuiſſe: *Continuo non acquievi carni, & ſanguini.*

Boni Latronis converſio.

Boni Latronis converſio ut plurimum peccatoribus confidentiæ præbet argumentum: ſperant fore, ut in morte non ſecus ac ille convertantur, & non ſecus ac ille miſericordiam obtineant. Sed cum hoc unicum ſit exemplum, nihil inde inferendum eſt. Latro hic inſignis erat peccator, non abnuo; momentum, quo ille converſus eſt, extremum erat vitæ ipſius, non diffiteor: ſed hoc primum erat ſuæ vocationis momentum, Euſebius Emiſſenus ait: *Non fuit latroni extrema illa hora, ſed prima.* Reſpicis converſionis ejus tarditatem, idem Pater inquit: ego vero illius celeritatem admiror: *Cito ignoſcit Dominus, quia cito ille convertitur.* Latro hic videratne Dei filium prædicantem pœnitentiam, ac divinitatem ſuam miraculorum fulgore probantem? Judæa univerſa plena erat prodigiis Salvatoris, & Judæa univerſa indurata gratiam repulerat, & Salvatorem ſuum ſupplicio crucis damnaverat. Latro hic, ſibi primus ſibi gratiæ radius affulſit, illum ſuum Regem agnoſcit; eumque Deum ſuum adorat vel in cruce, & in doloris, & ignominiæ centro poſitum: *Conſortem crucis agnoſcit Deum.* Sanctus Auguſtinus ait. Attamen, o peccatores, hoc eſt confidentiæ veſtræ argumentum, hoc exemplum eſt, quod ad probandam præſumptionem veſtram adſertis? ille non diſtulit, uti vos; etenim ſeſe convertit, ubi primum Dei filius petiit, ut converteretur.

Applicationes quorumdam Scripturæ locorum.

Expectandum non eſt mortis tempus, ut noſmet morti præparemus.

ET *vos eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Luc. 12. Dei filius ipſe hoc nobis monitum tradidit, cum dixit, nos ſemper paratos eſſe debere in extremam hanc horam: nam ſi ſemper paratos eſſe opus eſt, multo magis ſemper noſmet præparare debemus; cum fieri nequeat, ut parati ſimus, antequam noſmet præparaverimus. Ratio vero, quam adfert, nonne manifeſta eſt? *Quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Et ſane ſi adventus ejuſdem ſciremus horam, & homo certus eſſet vel diuturnæ vitæ, vel certi annorum numeri, illius mora, & negligentia aliquam excuſationis ſpeciem admitteret; ſed cum extrema hæc lateat hora, cumque nemo futuri certus eſſe queat; cumque Deus inceſſanter minitetur, ſe non opinantes oppreſſurum homines, & experientia quotidie harum minarum oſtendat effectus; quæ cæcitas eſt expectare moriendi tempus, ut ſancte vivas? Cum hoſtis obſidet muros, ac arcem circumundique vallo clauſit, tempus non eſt annonæ, & commeatuum in urbem inferendorum tempus: cumque jam jam vela ventis explicanda ſunt, tempus non eſt navim inſtruendi, atque præparandi, &c.

Quærite Dominum, dum inveniri poteſt. Iſaiæ 55. Sexcentis Scripturæ locis docemur, quædam eſſe tempora ad quærendum Deum ita accommodata, ut ſi hæc elabi patimur, fere nunquam inveniatur. Quid enim hæc ſibi vellent verba: gratiam ejus ſimilem eſſe fulgurum nitori, qui momento præterit non ultra rediturus? Quid illa Prophetæ: ſi hodie vocem ejus audieritis, ne in craſtinam diem aurem illi adhibere differatis, ne voluntatem abjiciat vos iterum vocandi? Quid illa S. Joannis; adeſſe tempus operandi bonum, cui tenebricoſa ſuccedit nox, qua nemini licet operari? Quid tandem illa Iſaiæ; quærite Dominum dum prope eſt, & inveniri poteſt; niſi verum eſſet, momentum illud, quo certe ſperare poſſumus illum a nobis inventum iri, tempus eſſe, quo ab eodem vocamur? Velle enim in aliud tempus differre, idem eſt ac ſubire periculum, ne illum unquam invenias.

Quæretis me, & non invenietis, & in peccato veſtro moriemini: Joann. 8. Hæc verba nonne terrorem peccatoribus incutere debent: *Quæretis me, & non invenietis, & peccato veſtro moriemini.* Quærite, Dei filius ait: qui enim quærit, invenit, quod quærit: ſed miſericordiam quærite tempore miſericordiæ, non autem tempore judicii. Miſericordia tempus habet ſuum, & judicium ſuum; ne duo hæc tempora confundatis, niſi in ſpe veſtra vultis confundi. Venite ad me, donec bonitas mea vobis aperit cor, donec patet gratiæ meæ theſaurus, donec lacrymæ, & ſuſpiria veſtra me movent. Si enim expectaveritis tempus mortis; ſi expectaveritis donec in miſericordiæ locum juſtitia ſuccedat, me cum Judæis quæretis, & non invenietis: clamabitis, & vos non exaudiam.

Non eludit divinæ juſtitiæ tela, qui differt pœnitentiam.

Genimina viperarum quis oſtendit vobis fugere a ventura ira? Luc. 3. Neſcio utrum aliquid aptius exprobrari poſſit illis, qui de die in diem ſuam differunt converſionem: ſperant ſe effugere poſſe ultionem Dei conſilio, quod ſe iniiſſe putant aliquando ſe convertendi. Putatiſne futurum, ut hoc pacto evitare poſſitis juſta ſupplicia veſtris ſceleribus debita, pœnitentiam in illud rejicientes tempus, quo illam peragere non poteritis? Fruſtra diuturnioris vitæ ſpe voſmet decipitis; Dei brachium jam ſublatum eſt, ut vos percutiat; ſecuris ſenſim ſuccidit inutilium horum arborum radices; & male iram Domini effugere ſtudet, qui futuram animo concipiens pœnitentiam illam in præſentiarum facere negligit: *Quis oſtendit vobis fugere a ventura ira?*

Quicumque ſeſe convertere differt, in periculo eſt, ne nunquam convertatur.

Surgam, & ibo ad Patrem meum. Luc. 13. Timendum fuiſſet, ne prodigi filii converſio inanis eſſet cogitatio, & cunctatio converſionis omni fere fructu carentis:

tis: ſed prodigus ne momentum quidem interjecit; & dicens ſurgam, & ibo, ſimul ſurgit, & corripit iter. Pœnitentiæ meditamenta, converſio in futurum tempus dilata peccatori ſoporem dumtaxat immittunt; ubi de converſione agitur, qui ſeſe gratiæ non dedit eo temporis momento, quo ſollicitatur ab illa, periculum ſubit, ne nunquam convertatur.

PARAGRAPHUS IV.

Loci, & Sententiæ Sanctorum Patrum hujus argumenti.

Datur quidem etiam in extremis pœnitentia, quia non poteſt denegari; ſed authores eſſe non poſſumus, quod, qui ſic perierit, mereatur abſolvi. Auguſt. Serm. 57. de tempore.

Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur infirma eſt; pœnitentia, quæ a moriente tantum petitur, timeo ne & ipſa moriatur. Idem ibidem.

Quanto diutius expectat Deus, tanto gravius vindicat. Quando enim prolixis temporibus peccamus, & nihil mali a Domino ſuſtinemus, patientia eſt, non negligentia: non ille potentiam perdidit, ſed nos ad pœnitentiam reſervavit. Idem, Serm. 102. de Temp.

Deus pœnitentiæ tuæ indulgentiam promiſit, ſed huic dilationi tuæ diem craſtinum non promiſit. Auguſtinus in Pſalm. 114.

Agens pœnitentiam, & reconciliatus cum ſanus eſt, & poſtea bene vivens, ſecurus exit; agens pœnitentiam ad ultimum, & reconciliatus, ſi ſecurus hinc exit, ego non ſum ſecurus. Idem, lib. 50. Homil. Homil. 42.

Percutitur etiam hac animadverſione peccator, ut moriens obliviſcatur ſui, qui dum viveret, oblitus eſt Dei. Idem in Sermonibus de Sanctis.

Converſio ſi contingerit alicui peccatori, etiam in fine, deſperandum non eſt de ejus remiſſione; ſed quoniam vix, vel raro eſt tam juſta converſio, timendum eſt de pœnitente ſero. Idem lib. de vera & falſa Pœnitent.

Satis eſt a fide alienus, qui ad agendam pœnitentiam tempus ſenectutis expectat. Idem, Serm. 4. inter communes.

Si vis pœnitentiam agere quando peccare non potes, peccata te dimiſerunt, non tu illa. Idem, ibidem.

O ſi tempus pœnitentiæ ſic cognoſceretur, quando eſt in noſtra poteſtate, ſicut cognoſcetur amiſſum, quam ſerio jam pœniteremus! Idem Serm. 24 ex communibus.

Non peccare metuit, ſed ardere. (Loquitur de Pœnitente moribundo.) Idem, Epiſt. 114.

Chriſtiano non eſt craſtinum. Tertull.

O homo qui differs de diem, forte habiturus hodie ultimum diem. Auguſtinus, Serm. 201. de Tempore.

Morientes non delicti pœnitentia, ſed mortis urgentis admonitio compellit. Idem, Serm. 36.

Qui tempus congruæ pœnitentiæ perdidit, fruſtra ante regni januam cum precibus venit. Gregor. Homil. 11. in Evangel.

Qui pœnitenti veniam ſpopondit, peccanti diem craſtinum non promiſit. Idem Homil. 12. in Evangelio.

Peccatorum tanto ſequitur diſtrictior ſententia, quanto peccanti ei magna eſt patientia prorogata, quia divina ſeveritas eo iniquum acrius punit, quo diutius pertulit. Idem, lib. 25. Moral.

Vita, ſi a peccati perpetratione nec temporis longinquitate compeſcitur, hæc ipſa vitæ longinquitas, quam per miſericordiam accipimus, ad cumulum accreſcit. Unde neceſſe eſt, ut cum nos diutius expectari conſpicimus, ipſa prorogata pietatis tempora, quaſi damnationis argumenta timeamus. Idem, lib. 17. Moral. c. 4.

Seria pœnitentia nunquam ſera; ſemper ad indulgentiam Dei aditus patet; etiam ſub ipſa morte nonnunquam ad immortalitatem tranſitur. Cyprianus ad Demetr.

Nos peccata velociter quidem promptoque animo committimus? pigre vero poſtmodum ac ſero pœnitentiam agimus. Baſil. Homil. 8. in divitem avarum.

Laqueus fortis eſt pœnitentiæ dilatio; qui enim nimium differt, ille pravis ſuis operibus, quaſi propriis laqueis tandem miſere capitur. Idem, in Caten. aurea.

Aliqui propoſita ſpe pœnitentiæ, licentiam ſibi delinquendi propagatam putant: cum pœnitentia peccandi remedium ſit, non peccandi incentivum. Ambroſ. lib. de Pœnit. cap. 9.

Unius diei Sanctos effi cimus, qui nihil præter velle afferimus. Gregor. Nazianzenus.

Juſto Dei judicio fit, ut quia, cum poteſt homo converti, non vult, cum vult forte converti, non poſſit: tunc enim ſecurum eſt homini pœnitere, cum poteſt ipſe peccare. Innocent. II. Serm. 1. de Adventu.

Cum inceſſabili augmento ſuæ pravitatis intereunt. (Nempe qui diu pœnitentiam diſtulerunt.) Beda.

Omnes cunctationis vitium (in Pœnitentia) a præſumptione impertatur. Tertull. lib. de Pœnit. c. 6.

Abſit, ut aliquis ita interpretetur, quaſi vere ſibi pateat ad delinquendum aditus, & redundantia clementiæ cœleſtis libidinem faciat humanæ temeritatis: nemo idcirco deterior ſit, quia Deus melior eſt, quoties ignoſcitur, toties delinquendo. Tertullian. libro de Pœnit. cap. 7.

Noli tardare converti ad Deum: neſcis enim quid pariet ſuperventura dies. Chryſoſt. Epiſt. ad Theodorum.

Multis (inquit) dedit Deus privilegium, ut in ultima ſenectute converterentur. Quid igitur? nunquid & tibi dabit? Fortaſſe dabit, inquis. Cur dicis fortaſſe? Contingit aliquando. Sed cogita quod de anima deliberas. Chryſoſt. Homil. 22. in ſecundam ad Corinth.

Nunquam eſt ſera converſio: Latro de cruce tranſit ad paradiſum. Hieronymus in Epiſt. ad Lætam;

Pœnitentia aboleri peccata indubitanter credimus, etiam in ultimo vitæ ſpiritu, ſi admiſſorum pœniteat. Auguſt. de Eccleſ. dogm. cap. 48.

Quanto diutius expectat Deus, emenderis, tanto gravius judicabit, ſi neglexeris. Idem, lib. de Utilit. agendi pœnit.

Latro ille, qui pendebat in cruce, non eguit prolixitate temporis, ut ingreſſum paradiſi mereretur. Chryſoſt. lib. de Reparat. lapſ.

Non pudet te reliquias vitæ tibi reſervare, & id ſolum tempus bonæ menti deſtinare, quod in nullam rem conferri poſſit. Seneca, lib. de brevit. vitæ.

Non fuit latroni extrema hora, ſed prima. Euſebius, Emiſſenus, Homil. de bono latrone.

PARAGRAPHUS V.

Quid ex Theologiæ locis ad hoc argumentum poſſit adferri.

Quid ſit impœnitentia in morte, & in vita.

Finalis impœnitentiæ non poteſt alia notio tradi præter eam, quæ mortalibus omnibus comperta eſt, videlicet mors eſt in peccato, quin peracta fuerit pœnitentia; quin cum Deo; qui lethali noxa laceſſitus fuerat, reditum fuerit in gratiam; ſeu peccator in morte determinata voluntate nolit pœnitentiam agere; ſeu de divina diffidens miſericordia in deſperationem cadat; ſeu vitiis ſuis mordicus inhærens nolit ſincere pravos habitus exuere; ſeu denique nolit adimplere conditiones, quæ ad criminum remiſſionem obtinendam ſunt neceſſariæ. Illud autem in argumento, de quo agimus, animadvertendum eſt, quod nolle agere pœnitentiam, donec bona fruimur valetudine, illam de anno in annum differre, & in vitæ finem rejicere, vocari poteſt ſtatus impœnitentiæ, vel habitualis impœnitentia, quæ ad finalem impœnitentiam diſponit, ac ducit.

Procraſtinatio pœnitentiæ tribus modis fit, qui ſaluti ſunt perieuloſi.

Quivis peccator, qui converſionem, & pœnitentiam in tempus differt, tria tantum ſibi proponere poteſt, hoc eſt, vel illam differre donec in manifeſto ſit mortis periculo, ita ut nequeat illam ultra ſtatutum tempus procraſtinare; vel illam in ſenium, & extremum ætatis ſpatium remittere, atque ſperat ſe tunc facturum dignos pœnitentiæ fructus, qui ad ſalutem erunt neceſſarii; vel denique de anno in annum, de feſtivitate in feſtivitatem rejicere, donec adimpletum fuerit aliquod magni momenti negotium, atque omnia ablata fuerint impedimenta. Ex iis, quæ deinde afferuntur, videri poterit in ſingulis modis hiſce moram ſemper noxiam eſſe ſaluti, & pœnitentiam ita dilatam incertam eſſe, difficilem, & ſuſpicione minime vacuam.

Dici nequit omnino impoſſibilis pœnitentia in mortem dilata.

Quamvis ſalus periclitetur, & quantuslibet metus incuti debeat peccatoribus pœnitentiam ſuam in mortem uſque differentibus, & quantumvis etiam converſio tunc temporis ſuſcepta difficilis ſit, nec ſuſpicione vacua, dici nec poteſt, nec debet omnino fieri non poſſe, ubi peccator ſanæ ſit mentis, ac ſatis temporis habeat, quo ſincerum peccatorum ſuorum dolorem concipiat, præſertim vero cum recipit ſacramenta. Rationes, quas poſt S. Thomam afferunt Theologi, ſunt, 1. quia Dei miſericordia major eſt, quam hominum nequitia, quantacumque hæc ſit, licet pertinaciſſima: 2. quia ſi moriens ſui compos eſt, ideoque liber, bene uti poteſt gratia, quam Deus denegat nulli, qui ex ſe ea perficiat omnia, quæ in ſua poteſtate poſita ſunt. Itaque peccator ſemper habens gratiam abſolute neceſſariam, ut convertatur, quocumque in ſtatu ſit, converti poteſt, & conſequi miſericordiam. Hoc docet D. Thomas in Magiſtrum ſententiarum; & probatur his Scripturæ verbis apud Ezechielem 33. *Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.*

Cur converſiones in morte raro ſinceræ ſunt, & plerumque falſæ.

Cum vulgo per temerariam in Dei miſericordia confidentiam peccatores in mortem differant converſionem, atque flagitia ſua in illud uſque tempus perducant, quo illa nequeunt amplius committere, Sancti Patres, atque Doctores aſſerunt, pœnitentiam nunquam magis eſſe difficilem, minus ſuſpicione vacuam, atque ſinceram, quam cum in illud uſque ſpatium extremum dilata fuit: 1. quia bonorum, & voluptatum amor in illud uſque tempus productus difficilius abjicitur, quoniam diutino habitu inolevit: 2. quia difficilius eſt eum peccatorum ſuorum vero, & ſupernaturali dolore affici, qui nunquam hunc dolorem exercuit: 3. quia morientes ut plurimum inefficacem habent dolorem profectum ex præſenti malo, quod ſuſtinent, vel ex ſervili metu illius, quod in altera ſuſtinendum vita meriti ſunt: 4. quia mors illos opprimere poteſt, antequam poſſint conſcientiæ, & ſaluti ſuæ conſulere: 5. licet etiam ſatis habeant temporis, ac libertatis, tentationes nunquam ſunt vehementiores, voluntas nunquam infirmior; & Deus ipſe illis negat gratias validiores, quæ magis eſſent neceſſariæ, & quibus ſeſe præbuerunt indignos. Hæc ea ſunt argumenta, quæ a Patribus, & Doctoribus afferuntur, docentibus parum fidendum eſſe in converſionibus ad vitæ finem dilatis, quamvis de nemine ſingillatim deſperandum ſit, neque ulli neganda ſint ſacramenta, niſi aliæ ſuppetant cauſæ.

Cavendum vero præſertim eſt hoc in argumento, ne in quorumdam Novatorum errorem impingas prædicantium, atque probantium converſionem peccatoris ad mortem uſque dilatam eſſe magis, quam moraliter impoſſibilem. Ratio quam adferunt, ſupponit hæreſim a Tridentina Synodo proſcriptam, peccata non remitti per contritionem, vel Sacerdotis abſolutionem, ſed per pœnitentiam patratorum ſcelerum magnitudini parem: ideoque pœnitentiam, & converſionem in mortem dilatam, quo tempore deeſt tempus, deſuntque vires diuturnæ, auſteræque ſatisfactioni ſuſcipiendæ, ſemper inutilem eſſe. Quamvis illi, qui hanc rationem afferunt, eamque confirmare conantur, crederent peccata dimitti ex virtute ſacramenti pœnitentiæ, ubi cum neceſſariis diſpoſitionibus acceptum fuerit, ſemper tamen in errore ſunt, & aliter ab eccleſia ſentiunt inter neceſſarias haſce diſpoſitiones tamquam eſſentialem ſacramenti conditionem recenſentes diuturnam, auſteramque ſatisfactionem. Quod ſi quidam Sancti Patres ad probandam pœnitentiæ in morte ſuſceptæ inutilitatem, infirmitatemque pro argumento uſurpant modicum tempus, quo illa præcipitanter peragitur, eorum ſententia non abhorret a noſtra, multum videlicet temporis ſpatium ad conſcientiam rite excutiendam requiri, ut ſaluti proſpiciatur; vel juxta communem rerum ordinem, cordis mutationem repente non fieri, & ad id inuſitata opus eſſe gratia miraculo proxima. Quoad ſatisfactionem vero, quam Novatores illi, tamquam præcipuam pœnitentiæ partem requirunt, morbi dolores, voluntaria mortis acceptatio offerri Deo poſſunt ſaltem in partem pœnæ, quam peccatores divinæ debent juſtitiæ, ſi cum neceſſariis diſpoſitionibus acceptum fuerit ſacramentum.

Principia quædam ſecundũ quæ hoc in argumento citra temeritatem differi poteſt.

Primum; cum fidelis poſt vitam ab inſignibus flagitiis vacuam, non dico perfectam, neque ita irreprehenſibilem, ut nunquam in ſcelus aliquod lapſus fuerit, ſed vitam ut plurimum frugi, ceteroquin ſollicitam, ut iterata pœnitentia reſurgat, quoties ceciderit; cum hic fidelis, inquam, in morte præbet ea religionis ſigna, quæ ab ipſo petit eccleſia, & ſacramentis munitus decidit, rationabile judicium ferri poteſt, illum a Deo in tranſitu gratiæ auxilio nequaquam fraudatum fuiſſe, ſed ab eodem cum illo factam fuiſſe miſericordiam. S. Auguſtinus hac in re nequaquam dubitare videtur: *Securus exit*, ait ille de Chriſtiano loquens, qui poſtquam ita vixerit, e vivis deceſſit. Secundo, cum fidelis poſt annos multos in criminibus traductos ſeſe bona fide collegit, cum adhuc bona utebatur valetudine, præſertim vero cum reliquo vitæ ſpatio digna in ſuſcepta vitæ ratione permanſit, atque factis ſuis ſolidam, ſinceramque pœnitentiam probavit, atque in mortis hora eoſdem ſenſus foveat, confirmat, inſtauret; ſemper credendi ſuppetit ratio, illum voti damnatum fuiſſe, & in oſculo Domini animam efflaſſe. Sed tertio, cum ad Deum in morte tantummodo redit, poſtquam pœnitentiam in extremum vitæ ſpatium diſtulit, quantumvis bonos ſenſus tunc ille teſtetur converſio hæc, & pœnitentia nunquam ſuſpicione vacua exiſtimata fuit.

Non deſunt valida præjudicia ad hoc, ut pœnitentia in morte ſuſcepta falſa ſit.

Hæc quoque Sanctorum Patrum communis eſt ſententia, quamlibet pœnitentiam a peccatore ipſo mortis tempore ſuſceptam magna falſitatis indicia, quorum tria potiſſimum referunt. Primum eſt Dei verbum, quod nulla alia in re magis perſpicuum, explicitumque eſt: aliquos ingenus locos attulimus, quos iſtic repetere inutile eſt. Alterum præjudicium fluit a tempore, quo hæc fit pœnitentia, quæ nunquam minus commode fieri poteſt, quam in morte. Tempus Dei non eſt totum vitæ tempus, ſed illud ſolum, quo nos vocat; ſed tempus mortis nequaquam illud eſt, quod nobis tradidit, ut noſmet morti eidem præpararemus. Neque hoc tempus eſt, quod magno huic negotio ſit impendendum; non enim aliud minus aptus eſt feriæ cogitationi; & nunquam minus pares ſumus illi adhibendæ diligentiæ, quæ ad id eſt neceſſeria. Tertium denique præjudicium contra pœnitentiam hanc in mortem uſque dilatam hoc eſt, quod cum neceſſitas tunc nos adigat, ut revertamur ad Deum, legitima ſubeſt metuendi cauſa, ne peccator invitus, & coactus, non autem ultro, & ex corde agat pœnitentiam.

Hæc pœnitentiæ dilatio non injuria haberi poteſt tamquam reprobationis argumentum.

Conſtat prædeſtinatos quoque nonnumquam in graviſſima labi flagitia, ex quibus illico reſurgunt, & quorſum ſalutarem, auſteramque agunt pœnitentiam: e contra vero reprobi in ſceleribus ſuis perſiſtunt, & illa nonniſi cum extremo ſpiritu relinquunt. Idcirco Doctores vulgo tamquam reprobationis ſignum pœnitentiæ cunctationem memorant; cum enim idgenus homines de die in diem converti, ac pœnitentiam agere differant, ut plurimum in impœnitentia moriuntur; quæ cumulum addit quodammodo eorum deſperationi, quoniam in habituali ſtatu peccati, in quo vixere, moriuntur.

De fide eſt poſt primum mortale ſcelus, quod in nobis baptiſmi gratiam extinxit, Deum nobis converſionis gratiam nequaquam debere, & jure ſuo illam nobis negare poſſe; nobis nullum jus eſſe eam nobiſmetipſis promittendi; neque illam ullo pacto mereri nos poſſe: hoc inquam de fide eſt. De fide quoque eſt, neminen mereri poſſe finalem perſeverantiæ gratiam, quæ noſtræ ſalutis opus coronare debet, & quam citra quamlibet injuſtitiam Deus ſanctiſſimo cuique negare poteſt. Vos autem, qui nunquam juſtos fuiſſe meminiſtis, qui hac in vita eſſe arbitramini ut ſolatiis, & voluptatibus indulgeatis, qui mundo huic ita inhæretis, perinde ac inde nunquam aſſetis migraturi: quomodonam duas haſce diſtinctas, ſeparataſque gratias ſperatis, quarum utraque omnia mortalium merita excedit; videlicet converſionis gratiam poſt peccatum, & gratiam finalis perſeverantiæ poſt vitam ſanctiſſime etiam traductam? Utramque ſimul invicem permixtas, confuſaſque voſmet aſſecuturos ſperatis, idque in extremo vitæ ſpiritu, ubi opus erit, ut converſio veſtra ſimul etiam ſit finalis veſtra perſeverantia: & duas haſce gratias, quæ ſanctis omnibus duæ ſunt, vobis unam dumtaxat futuram; nonne hæc temeritas eſt, & manifeſta præſumptio?

Quamquam Deus miſericors eſt, æquum eſt, ut ſuam exerceat juſtitiam in eos, qui ejuſdem bonitate abutuntur.

Verum eſt, Deum eſſe miſericordem, & quod homo propriis præſtare viribus nequit, hoc Redemptoris gratia, ubi huic placuerit, efficere poſſe: ſed etiam ſicuti bonitatis ejus intereſt in morte non deſerere eos, qui, dum viverent, illi ſervitutem præſtiterunt, opus quoque eſt, illius inteſcere juſtitiam permittendo, ut qui, dum bene vivendi tempus, & adminicula haberent, ipſius obliti ſunt, ſui obliviſcantur, cum morituri ſunt, & omnem ſalutis ſuæ curam abjiciant.

Propoſitũ ſeſe convertendi non ſufficit, ut juſtificemur ſtatim incipiendum eſt.

Cum pœnitentia ſola peccatum deleat, ita ſola eadem efficit, ne in finalem impœnitentiam labamur, & morte inter iniquitates noſtras oppreſſi in damnationis ruamus. Hinc oritur ſatis non eſſe converſionis quædam fovere conſilia, vel de pœnitentia in futurum tempus peragenda deliberaſſe; hanc modo incipere debemus; præterquamquod facile eſt mutare mentem, atque in hoc initio in futurum conſilio decipi, & aberrare. Hæc enim ut plurimum ars eſt amoris proprii, qui ea frui cupit felicitate, quam in peccato nanciſcitur, ac remittit in craſtinum earum abnegationem, quæ omnino facienda eſt, laboremque, qui in eadem efficienda invenitur.

Hoc gratiæ myſterium eſt, quod peccatores non ſatis intelligant, & quod evolvere operæ pretium eſt. Quamquam verum eſt dicere, uti Scriptura docet, Deum infinitæ miſericordiæ ſuæ effectu ſæpe peccatores ad pœnitentiam expectare, nihilominus liquet etiam, nec omnes, nec æque expectari. Si enim Davidem, Petrum, Magdalenam expectavit, non ita tamen Core, Dathan, & Abiron, alioſque plurimos, quos ſtatim in arena percuſſit, quin illis ſeſe colligendi præberet tempus: & cum iis, quos expectavit, non eamdem ſemper agendi rationem adhibuit. Alios quidem diu, alios brevi temporis ſpatio ſuſtinuit; immo etiam quemdam gratiarum numerum ſtatuit, quamdam peccatorum menſuram, propitias quaſdam occaſiones, quibus elapſis nullum ſupereſt tempus pœnitentiæ opportunum, gratia nulla ad ſalutem ſatis valida, nulla ad ſeſe convertendas occaſio ſatis benigna. Unde judicium

ferri

ferri potest, quod quandoquidem peccator hoc tempus, hanc mensuram, has occasiones ignorat, differre conversionem suam est periculum subire sese nunquam convertendi.

Cur Deus qui pœnitentiæ veniam pollicitus est, tempus ejusdem faciendæ polliceri noluerit.

Cum ineffabili bonitate sua Deus omnia ad humanam referat salutem, ne veniam se consecuturos desperantes præcipites in omnia peccatorum genera proruant, veniam pœnitentiæ adnectit; verum ne veniæ spes illis occasiono fiat in sceleribus perseverandi, illi pœnitentiæ peragendæ tempus promittere noluit. Nisi veniam promisisset illi, qui baptismi sui sanctitatem violassent, qui semel ab ea decidissent, nullum in flagitiis suis modum servassent. Similiter si Deus hominibus veniam offerens, ex quo sese convertissent, illis etiam mortis horam revelasset, promissio huic adjecta cognitioni illos diutius in scelerum habitu retinuisset. Quoniam Deus nos ad pœnitentiam se expectaturum in hoc usque tempus promisit, dixissent illi, quid nos cogit, ut conversionem maturemus, quandoquidem nullum imminet periculum in extremum senii tempus pœnitentiam rejicientes? Quid autem divina præstitit misericordia, ut homines præservaret, ne in horum scopulorum alterum allidirentur? In pœnitentia quemdam veluti portum primis constituit, ut post naufragium reparare possent eam, quam fecerant, jacturam; ut autem secundis in peccato perseverantibus metum injiceret, Deus veniam illis promittens diem crastinum eorum pœnitentiæ nequaquam promisit.

Impœnitentia altera voluntaria est, involuntaria altera.

Moritur in peccato per involuntariam impœnitentiam, qui post vitam flagitiose transactam, quin veteribus recentia adjecerit scelera, subita opprimitur morte, veluti apoplexia, vel insania. Moritur per eamdem etiam, qui sine ecclesiæ ope, ac sine sacramentorum administratione abit ad plures: accersitur quidem Sacerdos, sed ubi hic accessit, æger sanæ mentis, & linguæ usum amisit. Sed præter hanc involuntariæ impœnitentiæ speciem adest altera, quæ voluntaria est, & adfectata; & est, cum in morte actu adhuc animus alicui pravæ adhæret cupiditati: cum exempli gratia impudicus separari non vult ab objecto, & causa peccati sui, quodcumque illi Confessarius suadere conetur; cum avarus fatetur aliena se possidere bona, & illa restituere detrectat, cum pater suos amat filios, quibus ne displiceat, relinquit illis ea, quæ scit a se injuste acquisita fuisse; denique cum peccator, cujuscumque conditionis ille sit, extremum spiritum suum efflat versus idolum, quod vivens adoravit &c.

Potest aliquis mori in impœnitentia licet Ecclesiæ sacramenta receperit.

At enim cum aliquis, quodcumque vitæ genus duxerit, omnia ecclesiæ sacramenta recepit antequam moreretur, cum sacra se exomologesi expiavit, sacro viatico pastus est, extremaque delibutus unctione fuit, nonne credendi locus est post hæc morientem christiano homine dignam mortem oppetere? Ita sane, dummodo veram habuerit criminum suorum pœnitentiam, sincerum ob læsam numinis majestatem dolorem, certumque consilium, si convaluerit non perpetrandi imposterum ea, quæ ipsum Dei inimicum fecere; non autem si post recepta sacramenta cum noxiis cupiditatibus suis ille decesserit. At sacramenti gratia, instabis, cor illius immutavit. Hoc verum esse nequit; quoniam sacramenta secundum constantem Theologorum doctrinam non operantur nisi supposita interiori dispositione eorum, a quibus recipiuntur. Sed sacramenta dispositionem hanc non gignunt, verum supponunt, ut producant effectus gratiarum, pro quibus instituta fuerunt. Si peccator, exempli gratia, moriens non est vere pœnitens, nisi in corde verum habet præteritæ vitæ dolorem, nisi præsto est, ut vitam mutet, ubi convalescat, confessionis sacramentum illi erit inutile; etenim institutum est, ut eorum tantum peccata dimittat, quos satis suorum criminum pœnitet.

Dupliciter aliquis in finalem impœnitentiam labi potest, vel in peccato suo mori.

Finalis impœnitentia proculdubio est malorum omnium maximum, & duplici modo in eam aliquis labi, & in peccato accumbere potest; videlicet per impœnitentiam, quam Theologi formalem, vel per eam, quam materialem appellant. Formalis impœnitentia est, cum aliquis ita in sceleribus suis occalluit, ut pœnitentiam agere nolit, neque veniam expetere, quamvis videat, & sentiat se morti proximum esse, ac se certissime reprobatum iri, nisi ad divinam misericordiam confugiat. Si nihilominus infelix iste nulla tangitur pœnitentia, vel securus persistit, vel si de divina bonitate desperans putat inutile esse Deum confugere, vel denique si peccata sua negligit confiteri sperans, adhuc se ex eo periculo incolumem evasurum, pristinaque valetudine perfruiturum, hæc formalis est impœnitentia, novumque peccatum tot aliis recens superadditum. Si enim per desperationem hoc fit, peccatum est contra Spiritum sanctum, quod neque in hac, neque in altera vita dimittitur, & ut Sanctus Hieronymus ait: *Solum crimen est, quod veniam consequi non potest*. Sin autem ex voluntaria omissione dumtaxat accidit, peccatum est contra charitatem, quam sibi debet, cum in eo salutis periculo, in quo versatur, pœnitentiæ subsidium sibi procurare teneatur. Materialis impœnitentia est, cum pœnitentiæ omissio sine novo accidit crimine. Ægrotus exempli gratia medicum obtestatus est, ne sibi det verba, fucumque faciat, sed libere morbi statum, salutisque discrimen aperiat, ut suæ prospiciat æternitati, medicoque affirmante nihil esse periculi, interim æger opprimitur morte. Hic moritur in impœnitentia, & damnabitur, non eo quod peccata sua confessus non fuerit, sed propter peccata, quæ patravit, & quorum nullam habuit contritionem. Aliquando etiam hoc accidit, cum moriens petiit confessarium, qui tunc tantum advenit, cum æger confiteri ultra non potest omnium sensuum usu amisso. Unus est perfectæ contritionis actus, qui tunc illum præservare valeat, ne in impœnitentia moriatur.

PARAGRAPHUS VI.

Delecti ex Asceticis, recentioribusque concionatoribus loci hujus argumenti.

De morte in peccato.

Ego vado, & in peccato vestro moriemini. Quidnam filius Dei Judæis minitatur? A vobis recedo, quemadmodum a me recessistis, & in peccato vestro moriemini. Illos admonet mortem eorum cum peccato conjunctum iri, tanquam extremam pœnarum, calamitatum, & maledictionum oppressionem, necnon funestissimam duorum maximorum, simulque omnium malorum commixtionem, quibus divina justitia contemptam ulcisci possit suam misericordiam. Hæc autem non Judæis tantum, quantum nobis etiam, o Fideles, Jesus Christus intentat. Peccatores, qui conversionem, & pœnitentiam vestram procrastinatis, adhuc in altero tantum horum malorum versamini, ex quo facile per pœnitentiam emergere potestis: ne differatis illam: si enim vos deprehenderit mors, ibi in æternum permanebitis; & alterius mali accessione prius fiet insanabile. *Ex sermonibus Abbatis de Aubignac.*

Esto quidem pœnitentia ad scelerum nostrorum veniam promerendam novissimis vitæ diebus eamdem habeat virtutem, quam statim ac peccatum fuit perpetratum; sed respondete quæso, quisnam hanc vobis moram spopondit? Nunquid cum Deo pactum fecistis, ut hic vobis terminus concederetur? Exploratus ne vobis est vestræ mortis annus; illius diem, horamque nostis? Temerarius profecto sit, oportet, qui de futuris ita præsumit: divinam sibi vendicat auctoritatem, qui ita de futuro disponit; unus quippe Deus videt, quæ futura sunt; cum interim homo cæcus, qui nescit, quid crastina paritura sit dies, immo neque utrum futurum sit, ut crastina sibi dies affulgeat, injuria salutis suæ opus rejicit in annos, quos fortasse visurus non est. Mors fur est, qui in tenebris irruit, qui dormientes nos fallit, neque de adventu suo nos monet. Heu! aliquis fortasse animo consilium iniit sese proximo die festo convertendi, cui satis non erit vitæ, ut ad hunc perveniat diem; aliquis fortasse pœnitentiam se quamprimum acturum pollicitus est, cui vix triduum vitæ superest; aliquis cras se manum conversioni suæ admoturum decrevit, cui crastina dies nequaquam illucescet; aliquis me audit fortasse, cui divina misericordia reliquum dumtaxat hujus diei spatium concedet, quod fortasse misere absolvet, & hac nocte justitia Dei ab illo animam repetet, ac vitæ totius rationem deposcet. *Idem.*

Nemo præsumere potest, sibi mentis sanitatem fore extremo vitæ spatio, ut agat pœnitentiam.

Quamvis etiam mors vestra præceps non esset, sed ætatis vestræ imbecillitati accommodata, præsumerene potestis futurum, ne ratio ante corpus ipsum moriatur? Febris delirium impœnitentiæ vestræ sequi potest insaniam; sopor sensuum vestrorum, ætatis hujus ægrotis communis, mentis vestræ sopori comes accedere potest, & magnus annorum numerus, sine alio quovis casu, in eumdem vos remittere potest terminum, in quo sunt infantes. Verum scitote primam infantiam peccando parem non esse, alteram vero, quæ accidit in senectute, parem non esse pœnitentiæ. *Idem.*

Verum esto extrema senectus omnibus vacua sit infirmitatibus, quibus esse solet impeditissima; esto; sanæ mentis usus non desit, integrumque tibi sit ad Deum clamare, peccavi in cœlum, & contra te, Pater Misericordiæ! quis polliceri tibi potest, pœnitentiam hanc utilem tibi, & Deo acceptam futuram?

Quid!

Quid! post prostitutos pulcherrimos vitæ tuæ dies in omni iniquitatum genere, post tot annos mundi hujus indolis divotos, post tot Dei gratias prophanatas, ejusdemque misericordias contemptas; audebis adhuc præsumere pro tot debitorum dissolutione brevem, infirmamque pœnitentiam illum esse accepturum? Næ tu quidem vehementer errare potes. Cum virium defectus integrum tibi non sinet delinquere, cum necessitas ex hac vita migrandi, non secus ac omnibus vitæ flagitiis valedicendi, cum imbecillitas corporis auferet animæ potestatem pravis satisfaciendi cupiditatibus, cum te pœnitebit potius non posse ulterius peccare, quam peccavisse: putas futurum, ut tibi Deus parcat? Conjice oculos tuos in Esau, conjice in Antiochum: uterque a Deo, nec sine lacrymis, suspiriis, & gemitibus pœnitentiæ gratiam expetierunt, & neutri illam Deus concedere voluit: delassata erat illius misericordia, & irritata justitia. *Idem.*

Pœnitentia in morte plerumque inutilis.

Si novissimis vitæ annis periculum est, ne inutilem dumtaxat habeamus pœnitentiam, quid de illa dicendum, quæ in extremum vitæ momentum rejicitur? Putasne morientis pœnitentiam certo esse talem, qualem expetit Deus? Fateor equidem hoc vix mihi persuaderi posse. Anima accessu mortis perturbata difficillime ita sui compos est, ut coram Deo meritorium valeat actum elicere. Gemitus, & lacrymæ hominis jamjam morituri sunt potius doloris, quam amoris erga Deum effectus, ac tunc ipsum nefariæ vitæ pœnitet potius, eo quod illa morbum peperit, mortemque paritura est, quam quod Creatoris sui legem violaverit. Scio equidem hujusmodi in occasionibus non deesse, qui omnia promittunt exteriori morientis contritionis speciei, dummodo ecclesiæ legetur pars bonorum, quæ male parta, surreptaque fuerunt, vel dummodo illi relinquatur pars divitiarum, quibus moriens imposterum frui minime potest, vel aliquod resarcitæ gratiæ præbeatur indicium, cum omnino ultionis sumendæ modi, & desiderio amittenda sunt. Quid de hujusmodi pœnitentia futurum sit, statuere nolo; affirmare tamen audeo rem periculosissimæ plenam esse aleæ huic fidere, suamque æternam salutem committere. *Idem.*

Deus postquam diu peccatorem expectavit, ut plurimum illum deserit in morte, neque amplius audit eum.

Vocavi, & renuistis, ego autem in interitu vestro ridebo, & subsannabo vos. Hic simul peccatoribus exprobrat Deus, & minitatur. Expectavit, ait illis, tempus hoc, quod ex me quæsivistis, passus sum illum adolescentiæ æstum, quem prætexebatis, defervescere; præstolatus sum donec hic cupiditatum vestrarum ignis deflagraret; poteram eo ipso temporis momento, quo a me recedebatis, a vobis, quoque vicissim recedere; attamen misertus sum vestri, vestræque infirmitatis; distuli discessum meum satis superque justum in tempus remotius, expectavi usque ad proximum festum diem, quemadmodum petebatis. Sperabam vos ad me reversuros, atque aliquid pro salute vestra conaturos; attamen nihil eorum fecistis, quæ promittebatis. Concionatores ad vos locuti sunt eo zelo, quem mea quidem gloria, salus autem vestra illis inspiravit, pœnitentiæ ministri pro sacris tribunalibus vos præstolati sunt, gratiarum mearum, ecclesiæque thesauri peccatoribus omnibus patuere! denique expectavi, ut justitiam vobiscum exercerem: *Expectavi, ut facerem judicium*; sed quinam dilationis hujus meæ fructus extitit: *Et ecce iniquitas*, Isai. 5. dies quidem pœnitentiæ, anni vero nequitiæ, vaga confessio, & festinenter peracta, & sexcentæ in tota vita recidivæ, levis aliqua eleemosyna post mille rapinas: *Et ecce iniquitas*. Contempsistis gratias, monita, minasque meas: *Ego autem interitu vestro ridebo, & subsannabo vos.* Ex sermone de cordis obduratione, qui P. Massillon esse perhibetur.

Fidendum non est externæ speciei peccatoris in morte conversi.

At enim non defuerunt pertinacissimi, & nequissimi peccatores, qui in morte gemitus, & suspiria effuderunt, atque labiis adhæsere deosculantes Jesu Christi in cruce animam efflantis imaginem: hi proculdubio extremam saltem vitæ momenta in lucro pro cœlesti gloria acquirenda posuere. Eheu! Auditores lectissimi, nobis, qui in reliquis rebus adeo parum indulgentes sumus fratribus nostris, quis adeo benigna de illis inspirare potuit judicia? Quis de illorum spondere pœnitentia potest? Aliquot pia verba? Ex quo de cordis sinceritate judicium ferri potest ex oris sententia; In ipso etiam mortis lectulo, quid mundum deceat, consideratur. Tunc decet videri Christianum; hoc solatium est universæ familiæ ploranti præbendum; hæc persona est unicuique vicissim gerenda. Deo promissiones fiunt eadem sinceritate, qua olim amico, cui os subliniri optabatur. Sed cur ergo æquivocis acta signis ecclesia peccatoribus justorum sacramenta, & fidelium sepulturam concedit? Quia videlicet hæc amantissima parens, quæ de filiorum suorum interiori parte non judicat, signa hæc in æquiorem partem interpretatur, & credit Dominum fortasse usum fuisse absoluto, quod in hominum corda habet, imperio, ut efficaciter peccatorem hunc morientem moveret; & quia quantum interest sua, nullis parcere vult curis erga illum; sed non ideo plurimum credit his pœnitentiæ signis, quæ peccator morti dumtaxat proximus edidit. *Sermo Manuscriptus.*

Si periculosum est pœnitentiam in mortem usque differre, periculosum igitur est illam vel uno differre momento. Heu! quisnam scit terminum, quem præscripsit Dominus stadio, quod currimus? quantumvis juventutis flore, optimaque fruamur valetudine, quot casibus sumus obnoxii? Casus aliquis repente ingruens nobis impœnitentibus mortem potest afferre; morbus inter ipsas voluptates obortus, ex intemperantia fortasse profectus, repente nocentem opprimet; atque tunc manifestus peccator in hypocritam pœnitentem mutari videbitur. Verum quam longe a funestis hisce casibus distamus? Nihil profecto scimus, & sine ulla præcautione vitam traducimus. *Idem.*

Qui conversionem suam de anno in annum differre consueverint, illam in morte etiam procrastinant.

Hic negligentiæ in iis, quæ ad salutem pertinent, habitus, quem peccatores contraxerunt, in æternum permanet; quod de anno in annum differebant, de hæbdomada in hebdomadam, de die differunt in diem, & quin intelligant, mortis laqueis involvuntur, & hac procella merguntur. Nequeunt etiam diuturno affecti morbo familiæ suæ negotiis consulere; ideoque non admodum probabile est, illos conscientiæ suæ negotio vacaturos. Inviti relinquunt filios impeditissimis rebus irretitos, & uxorem omni solatio vacuam: & ipsi quoque in arduo, & difficillimo negotio omni consolatione carituri videntur. Quascumque curas gesserint, quæcumque inierint consilia, vidimus sæpe diligentiam, qua usi sunt, illis inutilem fuisse, non ergo fidei consonum est, postquam vitam traduxerint in jugi earum rerum negligentia, quæ ad ipsos unice pertinent, ipsos non decipi: & si decipiantur, quid de illis fiet? Ideo in Ecclesiastici libro Spiritus sanctus nos admonet, ne conversionem nostram procrastinemus, & ne, uti consuevimus, pœnitentiam in futurum tempus rejiciamus, ne abutamur tempore, & gratia, quam nobis offert Deus, ne imposterum nobis hoc salutis momentum desit, & prudentia, ac sapientia, ne non externa etiam subsidia deficiant. *Alius sermo Manuscriptus.*

Quid! homo, qui mundum sectatus est, qui totam fortasse vitam in negotiorum impedimentis traduxit, qui terrena solum amavit, prudenter speret futurum, ut bene se morti disponat: præsertim vero si ætas, & morbi effecerint, ut id cogitant vitæ, quod si reliquum est, spatium, nihil nisi mortis responsum in seipso reperiat, ut Sancti Pauli verbis utar; hoc est proximæ mortis certitudinem? Haud ita; spes hæc inanis, insanaque præsumptio est: aliquod esse debet intervallum inter vitæ hujus negotia, & mortis diem. Quid diceres de nauta, qui tunc solum ad examen vocaret, utrum rudentes, & anchoræ firmæ sint, cum se procella jactatum, ac naufragium imminere videret? Quid de arcis perfecto, qui murorum ruinam reparare, atque commeatus comparare tunc solum cogitaret, cum jam vallo circumseptus esset, & hostis jamjam bellicis tormentis propugnacula quateret? Vel de œconomo, qui rationes, & syngrapha tunc expedire satageret, cum rationem redditurus accersitur? Mors vero quid est? Si sacris litteris habemus fidem, periculosa navigatio est, per quam de tempore ad æternitatem scopulos inter, atque procellas traducimur: Prov. 1. difficilis est obsidio, in qua anima repente hostibus circumsepta oppugnatur: Luc. 19. rationum redditio est, ubi homo rationem redditurus est de omnibus vitæ suæ motibus, de verbis, cogitationibus, actionibusque universis. Luc. 16. *P. Gegou libro de preparatione ad mortem.*

Morbi dolores prohibent, ne bene moriendo nosmet præparemus.

Esto etiam, si lubet, homo subita morte nequaquam opprimatur: quomodo tamen probabile est, hunc extremo illo vitæ spatio sese ad bene moriendum disponere posse! Levis febris accessio, capitis dolor quantumvis parum violentus, efficiunt, ne homo aliquid aliud cogitare possit, quam malum suum; dolor enim, quacumque in parte perferatur, omnem spiritus, sensuumque aufert applicationem, ut solatium aliquod inquirat, aut sese in questus effundat. Et nihilominus aliquis sibi persuadere poterit, ægrotum inter languores, & imbecillitatem, quæ in gravioribus morbis nunquam desunt, doloris confectum, tristitia, tædioque fatigatum, & quocumque circumferat oculos, timoris argumenta videntem; aliquis, inquam, persuadere sibi poterit, ægrotum in tanta cogitationum confusione vocare posse omnibus virtutis, & pieta-

tis

tis actibus, qui necessarii sunt, ut se sanctæ morti disponat; Ullane igitur in mundo cæcitas esse potest, nisi hæc sententia extrema cæcitas est? *Idem*.

Deus expectando fatigatur.

Deus tædio afficitur, ejusque delassatur patientia expectando. Ille prior nobis suam gratiam, suumque offert amorem; adjutricem tendit manum, ut nos eruat ex abysso, in quam præcipites cecidimus; efficit, ut nostram videamus calamitatem, & illud, in quo versamur, periculum in nullam reditus spem intereundi: quodlibet vitæ genus tentat, suavitatem, austeritatemque, ut nos revocet; sed post has cunctationes, nisi profecerimus, fulgurat, tonat, fulminat, gratias suas amovet, vel infirmas, tantum concedit, Conversionem nostram in extremum vitæ spatium rejicimus, sed inopina mors nos aufert, & Dei iracundiæ, & ultioni nos objicit. *Auctor Anonymus*.

De illis, qui negotia sua prætexentes conversionem differunt.

Inde vero tot peccatorum retardatur conversio, quia in illud rejicitur tempus, quo vacui sint ab omnibus impedimentis, atque negotii, quibus retinentur in mundo. Cum me lite hac expedivero, quidam ait; cum munere meo, demandataque mihi provincia per functus fuero, alter inquit; cum familiæ meæ consuluero, filiisque prospexeros, cum, exiguam bonorum vim in senectutem meam comparavero, tunc serio animum conversioni meæ, ac pœnitentiæ peragendæ impendam. Ita in mundo loquuntur, expectare vis, donec expeditus sis ab omnibus sæcularibus curis, & a terrenis negotiis omnibus vacuus. Teipsum misere fallis, peccator; nunquam enim plenam hanc spiritus libertatem assequeris, nunquam nulla terrenarum rerum cura impeditus eri, semper mancipium eris eorum habituum, qui te trahunt, & in singulos dies convalescunt. Itaque si de eo statu, in quo es, egredi cupis, ne momentum quidem differas, ubi Dei voce appellaris; quantumvis adhuc terræ bonis adhærescas, quamvis sæculi corruptionem sapias, quanquam prædominanti adhuc tenearis affectu, audi Jesum Christum loquentem, & ex quo vocem ejus audieris, statim de peccato, ut olim Lazarus de tumulto, egredere. Alioquin nunquam fortasse converteris. *Sermo, qui Massillon acceptus refertur, de Habitu*.

At enim aliæ me tenent difficultates, prohibentque, ne de malo, in quo sum, statu egrediar; quid pro conversione mea conari possum, donec huic mundo adhæreo? Quam curam salutis meæ negotio impendere possum, donec mens sæcularibus curis est impedita? Ita loquuntur homines; sed hæc verba nullius sunt utilitatis; hæc quippe negotia, quæ nos relicturos speramus, quotidie alia aliis invicem sibi succedunt. Vix quibusdam defuncti voluptatibus, nugis, & amoribus ætatis unius, in negotia, curas, laboresque alterius migramus; neque in provectiori ætate majorem nanciscemur spiritus libertatem, majoremque animi solutionem, quam in juventute, in qua omnia fascinant, blandiuntur, alliciunt. Quocumque in statu sis, malæ semper sunt affectiones tuæ, ac recentes habes rationes, quas causeris; & quæ tuam conversionem impediunt. Hodie nimis molestum est, illud infringere vinculum, quod tantam adfert voluptatem, cras nimis dissipata mens erit, neque negotio, quod adeo serium est, vacare poterit. Post hæc in dies magis salutem nostram negligimus, quia nimis diu peccatum amavimus. Cum nosmet omnino vacuos putamus, tunc recens ingruit cura, quæ in aliquod tempus adhuc rejicit pœnitentiam, & conversionem. *Idem*.

Aliquando tempus erit, quo vosmet convertere cupietis, & fortasse non poteritis.

Jam novi te, Auditor: tempus erit, inquis, quo omnibus affectionibus tuis valedices, quo nexus omnes infringes, quo eum Deo redibis in gratiam; non semper iisdem perturbamur affectibus, & bonum sufficit momentum, ut immutemur. Hostium cladem facilem esse putas, neque dubitas de victoria, ubi ad illam animum volueris appellere. Miser! nonne de te jure, quod de Samsone Scriptura, dicere possem: *Egrediar sicut ante feci, & me excutiam: nesciens quod recessisset ab eo Dominus*. Ita loqueris, quia te ipsum ignoras. Tibi detonsi fuerunt crines illi, in quibus tuum robur consistit, & nescis: Dalila secretum retexit, neque ultra es, qui primum eras. Abi, abi, quoad tibi placuerit, blandire tibi. Dicis, *Egrediar sicut ante feci*; non credo, & fallax hæc confidentia tua mihi est apertissimum interitus tui argumentum. A te recedet Deus, cumque ille non erit amplius tecum, quid facere poterit, quid non debebis metuere? *Sermo Manuscriptus P. Stephani Chamillard*.

Qui differt pœnitentiam, salutem in periculum adducit.

Adveniet fortasse dies, qua pœnitentiam ages, sed fortasse etiam non adveniet. Heu! frater, hic disertissimus S. Chrysostomus exclamat, cum dicis *fortasse*, cogitasne, qua de re agatur? fortasse, ubi de tua agitur salute? fortasse, ubi agitur de anima tua? fortasse ubi de tua agitur æternitate? Fortasse damnabor; non damnabor fortasse. O terribile, horrendumque fortasse! O formidabilem incertitudinem! *P. Aurelianensis Sermone de Conversione*.

Quam difficile est repente immutari in morte.

Quid! brevibus illis momentis, quibus anima efflenda est, excutere, detestari, expiare, diuturnæ, ejusque flagitiosissimæ vitæ peccata reparare; Quid! repente mutare ideas, studia, affectiones, sensus! vehementes mortificare animi ægritudines, vehementes nexus infringere, violenta coercere desideria, inveterata jugulare odia, habituum ponderibus resistere, studiorum omnium cursum inhibere; momento terrenarum rerum æstimationem, & gustum abjicere, & cœlestia tantummodo sapere! Næ hoc quidem citra miraculum fit, fierive potest. *Idem*.

Tempus sese convertendi illud est, quo a Deo vocamur.

Videtis, Fideles, non deesse tempus sese convertendi agendique pœnitentiam, quod si labatur, vix vobismet misericordiæ sperandæ superest locus. Non secus ac non desunt patientiæ dies, quibus ille peccatores sustinet, ita quoque dies adest iræ, & justi judicii; quæ quidem dies propriæ illa est, qua ex hac vita decedimus, quemadmodum Deus ipse nos admonet. Præteriit occasio; tempus opportunum abiit, & per incuriam, æternasque cunctationes illud elabi passi sumus: messis tempus advenit. Quamobrem Isaias Propheta dicebat: Quærite Deum, dum prope est. Quando vero prope? Cum nos alloquitur, cum in corde nostro illius resonat vox; hoc verum est illius quærendi tempus. Verum si tempus hoc, & hanc occasionem elabi passi fuerimus, fortasse frustra invocabimus illum; frustra deserta, maria, montesque illum quæsituri illustrabimus: *Quæritis me, & non invenietis*. Joann. 7. *Auctor Anonymus*.

Peccator, qui indesinenter pœnitentiam differs! Evangelica piscina figura est, quæ tuam portendit infelicitatem! Moras incessanter, & cunctationes adfers, atque pœnitentiam tuam procrastinas: verum scias, piscinæ aquam non semper ab Angelo commoveri, scias, pœnitentiæ gratiam non semper offerri. Hæc sæpe vocavit te, sæpe te sollicitavit, ut ad Dei misericordiam confugeres; sed non semper te vocabit, sollicitabitque. Et cum te etiam vocabit, & Angelus conscientiam tuam movebit, adeo infirmus eris, ut teipsum secus hujus piscinæ oram tantummodo trahes: quo ubi perveneris; tot invenies, quibus prohiberis, ne te in aquam projicias, ita ut omnem deinceps salutis tuæ curam abjicias. *Sermo Manuscriptus*.

Deus velut gratiarum suarum dominus non tribuit eas, cum nobis, sed cum ipsi placet.

Nihil æque liberum est, ac Dei misericordia in gratiarum suarum dispositione. Sane Dei *Spiritus ubi vult spirat*. Ideo auris adhibenda est voci gratiæ loquentis ad cor; latet enim, unde veniat, aut quo vadat; *Vocem ejus audis, & nescis unde veniat, aut quo vadat*. Joann. 3. Ne dicas ergo te, ubi volueris, pœnitentiam susceptorum; hoc enim a te minime pendet, sed a gratia, quæ libera est, & libere operatur. Cum Deus sit gratiarum suarum dominus, illas inæqualiter pro voluntate singulis elargitur, *Dividens singulis prout vult*: 1. ad Cor. 12. & S. Chrysostomus ait, Deum agere tamquam supremum Dominum, ac Dominatorem, cum illas tribuit cui vult, & quando vult: *Cui vult, & quando vult, dat gratiam*. Cum autem tamquam Dominus agat, agit inæqualiter; neque cum peccatoribus æque, atque cum justis se gerit. Justos nunquam derelinquit, nisi prius derelinquatur, ideoque illis gratiam suam tribuit, donec sibi fideles existunt: verum aliter cum peccatoribus operatur; modo cum illis suam exercet misericordiam, modo illos indurat: *Cujus vult miseretur, & quem vult; indurat*. Ad Rom. 9. Præsumit ergo, qui putat non defuturam sibi gratiam sese convertendi, agendique pœnitentiam eo tempore, quod ipse constituit, ac determinavit. *Idem*.

Peccator in morte non inveniet Deū, quem inquiret.

Cum Deus sese peccatori sæpe obtulit, & peccator pertinaciter gratiæ illius obluctatus est, infelix iste non invenit illum ultra, cum ipsum quæsiverit: *Quæretis me, & non invenietis*, Joann. 7. ita Deus ipse minitatur. Quid! toto vitæ spatio non aliud præter corporis voluptates quæsivisti, & putas in morte pœnitentiæ gratiam te inventurum? Terræ bona dumtaxat amasti, & in morte cœlestia bona te consecuturum speras? Dum viveres, non aliud quam mundi hujus delicias optasti, & in morte credis te Paradisi deliciis perfruiturum? Quæ insania! quæ cæcitas! *Alius Sermo Manuscriptus de finali impœnitentia*.

Quam insipientes sunt illi, qui in extremum vitæ suæ spatium omnem æternitatis suæ curam rejiciunt; & putant inter terrores judiciorum Dei, coram quo brevi prodituri sunt, ad infernalium suppliciorum adspectum, quibus non multo post torquendi sunt, & inter dolores, qui animam a corpore divellunt, se cogitare posse, uti par est, quomodo suæ saluti prospiciant!

ciant! Quomodonam ex toto corde eum diligent, quem nunquam dilexerunt in vita, & sine cujus amore salvi esse non possunt? *Auctor Anonymus*.

Moriens sæpe non intelligit, quid sibi dicatur, cum a Deo veniam petere suadetur.

Persæpe accidit, ut qui dum viveret, neque de Deo, neque de salute sua cogitavit unquam, & qui semper neglexit semet ad bene moriendum disponere, proficere nequeat ex bonis, quæ sibi traduntur, consiliis, atque iis, quæ ipsi fiunt, adhortationis. Sacerdos, qui illi adstat, ad lectuli cervical mira dicit; optima tradit monita; & saluberrimas suggerit rationes ad tentationes dæmonis superandas; verum tempus discendi non est, ubi singulari certamine cum hoste confligendum est. Æger nihil intelligit eorum, quæ sibi dicuntur; eadem quidem verba nonnumquam repetit, sed ore tenus, non corde. Verbo, periit, antequam bonis, quæ sibi præbentur, ut possit consiliis. Sed hic nonne suo dignus est infortunio? Quænam imprudentia est sese tanto discrimini objicere! videre sibi cum adeo terribili hoste decertandum esse, & prælii momentum expectare, ut illata vulnera eludere, ejusque insidias evitare percipiat! *P. de la Colombiere, Sermone quinto de necessitate sese prædarandi ad mortem*.

Magna imprudentia est mortis expectare tempus, ut te ad bene moriendum disponas.

Ubi sensimus, quanti referat sese ad bene moriendum præparare, sathanas omnem industriam suam in eo collocat, ut nos ad præparationem hanc in extrema vitæ momenta rejiciendam impellat; sed hæc ars adeo crassa est, ut miraculi loco habeatur, quod tot alioquin sciti homines eadem se falli patiantur. Mortis tempus expectare volumus, ut ad bonam mortem obeundam nosmet præparemus; verum quo auctore tunc præparationi huic tempus non defuturum speramus? Ad hæc licet certi essemus momenta aliquot non defutura, exiguum illud temporis spatium sufficere, poterit, ut ea omnia adimpleamus, quæ in illud faciendam rejicimus? & licet satis pro rebus omnibus esset, nunquid illud ad quæcumque tunc agenda tempus est opportunum? Hoc incertum est, breve, malum; nunquid sanæ mentis est illud pro maximi momenti negotiis transigendis reservare? *Idem*.

Quamvis etiam cum audacissimo quovis supponerem metuendum non esse, opprimamur; ajo, tempus, quod in morte suppetere potest, nequaquam satis futurum, ut vosmet bene moriendo præparetis. Nostis enim morbum, quo aliquis moriturus est, ab aliis, qui accidunt in vita, nequaquam distingui ex primis ejusdem appulsibus. Aliquot elabuntur dies, quin quidquam metuatur, ideoque de morte ne cogitetur quidem: periculum deinceps detegitur, sed statim non adeo apertum est, ut nulla spes sit reliqua; atque ea tantum quæruntur remedia, quæ ad valetudinem quam primum sarciendam utiliora censentur. Hoc medicorum tempus est: tota familia incessanter circa ægrotum occupata est, ut eorum mandata facessat; penes te judicium sit, utrum ægro satis superque sit, quod agat, cum tot remedia sibi applicari, ac in se operari patiatur. Tandem postquam inutili conatu omnes medicæ artis vires exhaustæ sunt, ille admonetur, ut sese præparet morti, quod nonnunquam accidit, cum vix quatuor & viginti horarum vitæ superest spatium; & sæpe etiam longe brevius sanæ mentis, atque usus sensuum. In angusto hoc temporis intervallo testamentum scribendum est, funeris norma præscribenda, res domestica componenda. Ut hæc omnia a bene valentibus fierent, plurimum dierum spatium, & magnum requirerent otium: quomodo ergo aliquot horæ sufficient morientis, cui præterea omnia conscientiæ suæ negotia procuranda sunt, quorum curam semper in diem extremum distulit? Hæccine omnia adeo brevi fieri bene possunt? Vel potius hæc omnia fieri possunt male eo tempore, quo infirmæ sunt vires, cognitio modica, exilis memoria, & quo sensus dolorum, quibus corpus oppressum est; in se totam animæ attentionem, & curam convertit juxta illa S. Augustini verba: *Illuc rapitur intentio mentis, ubi est vis doloris? idem*.

Confusio, ac tumultus animæ, quæ sese morti præparare distulit in illud tempus, quo moriendum est.

Homo tunc eodem in statu est, in quo urbs ab hostibus arcta obsidione vallata, magnoque impetu oppugnata. Juristitium indicitur, litterarum silent Accademiæ, Commercium, Artes squalent, & omnia in hac cessant calamitate. Omnes per muros discurrit, ac per propugnacula, quo communi periculo vocantur. Ita homo doloribus mortis oppressus, ut Prophetæ verbis utar, suis tantum doloribus vacat; anima tota iis impenditur partibus, quæ magis affectæ sunt; ibi omnes exerit conatus ad propulsandum hostem, qui jamjam arce potiturus est. Tunc temporis non videt amplius, non audit, & suum tantummodo malum sentit: eo tempore nemo audet amplius verbum facere de sexcentis negotiis, quorum singula maximi momenti sunt; attamen hoc illud tempus est, quod pro maximo, pro unico, proque illo reservatum est negotio, in quo de rebus omnibus in omnem agitur æternitatem. Væ mihi si adeo parum sanæ mentis fuero, ut hoc faciam! Væ mihi si ad extremum usque vitæ spatium distulero id, quod totius vitæ debet esse negotium! *Idem*.

Falsa sese aliquando convertend confidentia ducit ad impœnitentiam.

Falsa hæc confidentia, quæ sperat contra omnem spem, quæ sine ulla religione salutis suæ negotium in tempus acceptius remittit, neque meruit, ne ita procrastinans voti summam consequatur; falsa hæc confidentia, quæ in futura conversione conquiescit, quin aliquid audeat efficere, ut operetur illam; quæ non alium gratiæ recipit fructum, quam inanem promissionem futurum, ut in posterum fidelius adhæreat illi; hæc falsa confidentia, inquam, scopulus est conversionis, funesta origo impœnitentiæ, & illusio fatalis, qua utitur dæmon, ut quæcumque optima consilia irrita efficiat, & vereor, ne falsa hæc confidentia omnes fere damnet peccatores. *Sermo, qui P. Massillon attribuitur, de falsa peccatorum confidentia*.

Inanes prætextus, qui propter pœnitentiæ dilationem nos illis objiciūt malis, quæ Judæis Salvator minitatur.

Mysteria hæc ad commovendum aptissima, quæ hisce pœnitentiæ diebus pietati vestræ exponit ecclesia, excitarunt fortasse in plerisque vestrum sensus conversionis, & pepererunt aliquot vitæ magis christianæ desideria: millies commoti, contriti, agitatis fuistis, ac millies de vitæ mutatione consilium inivistis. Sed in his felicibus gratiæ motibus affectiones vestræ adhuc voluntati, & cordi imperantes desideria vestra cohibuere, objicientes, tempus hoc nondum illud esse, quod saluti vestræ statutum est: vividæ juventutis æstum, vel negotiorum nimis urgentium impedimenta non pati, ut serio vestræ conversioni vacetis; neque tempus, & occasiones saluti vestræ utiliores defuturas. Inanes autem hujusmodi prætextus, & commentitii obices fortasse in caput vestrum convertent malum illud funestum, quod Dei filius Judæis minitabatur: *Moriemini in peccatis vestris*. Joann. 7. & 8. Moriemini, quin adimplere potueritis hæc bona vestra consilia, ideoque in impœnitentia moriemini. *Idem*.

Peccatores, qui hoc pacto procrastinatis, quænam res unquam vobis hanc spem certam facere potest futurum, ut ex funesto hoc statu emergatis? Ego quidem existimo incertum omnino esse, utrum in morte vosmet convertetis, an in peccato vestro moriemini; scire enim debetis, sola desideria, ubi simplicia perseverent esse desideria quovis effectu vacua, neminem convertere. Sed si dubitaretis, quonam in statu morituri sitis, quamvis peccatores vivatis, essetne prudentiæ vestræ cum hac dubitatione persistere in calamitosissimo statu, unde vestris viribus egredi vobis nequaquam liceret, nisi insueta gratia vos illinc educat? Semper spem, metumque inter nutantes, ac in utramque partem fluctuantes, necnon fati vestri exitum præstolantes, tutiusque relinquere potestis consilium, ex eo videlicet emergendi statu, in quo diem vestrum obire minime velletis? Si vobis non major esset metuendi, quam sperandi causa, sapientiæne esset in hac tranquillitate immorari. Sed undenam hæc vobis inter spem, metumque esse potest æqualitas? Plurimas quidem metuendi, sperandi vero minimas habetis rationes. Quidquid potest vobis in memoriam revocare duas hasce propositiones adeo contrarias: Moriar in peccato? an in eo minime moriar? vobis terrorem debet incutere & efficere, ut tutiorem partem amplectamini. Hoc autem primum consilium longe certius est homini in peccato viventi. Nostis enim vires vestras nequaquam sufficere, ut de peccato exire valeatis: divinum, neque id commune, vobis opus est auxilium, quod sibi nemo promittere potest; cum e contra nequaquam alieno egeatis subsidio, ut in peccatis vestris immoremini. *Idem*.

Quam vana sit peccatorū confidentia, qui suam differunt conversionem, & in Dei gratia confidunt.

Scio quidem, quantumvis nefarii peccatores simus, de salute nostra desperandum non esse; sed humilis confidentia nulli innititur rei, & quidquid potest, nil inausum relinquit: vos autem rebus in omnibus confiditis, quin aliquid efficiatis. Humilis confidentia peccatorum salutis est causa; vos autem illam scelerum vestrorum cumulum facitis: humilis confidentia contremiscens in amaritudine cordis scelerum veniam expectat; vos autem hanc frigide in inutili impœnitentia expectatis, quam nunquam fortasse, vel nonnisi sero nimis estis facturi. Novi equidem pœnitentiam Deo nunquam displicuisse, sed tempus est, quo illam inutilem credere debemus, & confidentia, quam in hac pœnitentia statuimus, præsumptione, & scelere non vacat. Tunc turpiter, temereque speramus feliciores occasione expetentes, quin ullum in præsenti conatum efficiamus. Hic ille fatalis est error, in quo plerique vivunt peccatores: hæc fallax est illusio, qua utitur dæmon ad salutis sensus in anima oppugnandos. *Idem*.

Frustra qui conversionem

Quid ergo? Cum speratis futurum, ut alio tempore